

Petri Poiret Bibliotheca mysticorum selecta, tribus constans partibus, 1. theol. mysticae idea generaliori, 2, auctorum mystic. characteribus praecipuis, 3. eorumdem catalogo, ac de plerisque iudicio / Praemittitur praeparationis loco clariss. viri, Jac. Gärden ... dissertatio de theologia pacifica seu comparativa. Sive de theologiae essentialibus & accessoriis discernendis.

Contributors

Poiret, Pierre, 1646-1719
Garden, James, 1647-1726

Publication/Creation

Amstelædami : Ex officina Wetsteniana, 1708.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p8rcr3ar>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



41696/A.

K T. II
P



DE ERNST DARMSTÄDTER

Dr. Ernst Darmstadt

Faint handwritten text at the top right corner.



THE ORIGINAL
PACIFIC
NATION
OF THE
WESTERN
HEMISPHERE

By J. G. ...
1845

Handwritten signature or initials at the bottom right.



P. POIRET
BIBLIOTHECA
MYSTICO-
RUM
SELECTA.

sculpsit
AMSTELÆDAMI
Apud Wets tenios

PETRI POIRET
BIBLIOTHECA
MYSTICORUM

SELECTA,

Tribus constans partibus,

- 1. **THEOL. MYSTICÆ IDEA** generaliori,
- 2. **AUCTORUM MYSTIC. CHARACTERIBUS** præcipuis,
- 3. **EORUMDEM CATALOGO,** ac de plerisque **JUDICIO.**

Præmittitur preparationis loco

Clariss. Viri, JAC. GÄRDEN, Th. D. & P.

DISSERTATIO de **THEOLOGIA PACIFICA** seu **COMPARATIVA,** sive de **THEOLOGIAE CHRISTIANÆ** Essentialibus & accessoriis discernendis.


Omnia in gratiam Eruditorum

Qui sine multa lectione succinctam, simulque solidam ac fructuosam rerum Theologicarum & Spiritualium expositionem desiderant.




AMSTELÆDAMI,
Ex Officina **WETSTENIANA,** 1708.

BRITISH MUSEUM
LONDON



AUCTORIS
PRÆFATIO
AD
LECTORES.

T in lucem prodiit libellus, *Theologiæ Pacificæ itemque Mysticæ ac hujus Auctorum Idea brevior*, è scripto meo Gallico, Latine ab Amico redditus, ægre tulerunt nonnulli, ipseque etiam Bibliopola, nomen meum titulo libri adscriptum non fuisse: quod vero cur desiderent, ipsi viderint. At non tantæ erant ejus prætermittendi causæ, quin facile consentiam eorum desiderio non solum nominis mei appositione, sed & annotationibus non paucis quæ aberant ubi liber primum comparuit: imo præter illa quæ Epistolæ de Auctoribus Mysticis addidi, ubi in *Volumine altero de Eruditione* (Editionis novissimæ in 4^{to}.) in-

AUCTORIS PRÆFATIO

fereretur, quæque inde transumpsi omnia, iisdem adjeci insuper multis in locis & nova alia. quæ vero universa hic, ad finem scilicet ipsius Epistolæ de Auctoribus Mysticis, quæri ac reperiri poterunt, titulo, *Auctoris in præcedentem Epistolam Annotationes & Additiones*. Ipse quoque qui has Annotationes sequitur *Catalogus Auctorum Mysticorum*, non parum est prioribus plenior.

Interpretis ac Editoris Latini scopum in istis vertendis atque publicandis quisnam fuerit, æquum est hic ex ipso repetere: sic autem ille.

„ Dudum animadverterunt non Eruditorum tantum ac Politicorum, sed
 „ & plebejorum, imo &, quorum res
 „ agitur Theologorum consideratiores,
 „ Christianam Theologiam ubivis duplici
 „ incommodo afflictam esse; altero *rixarum*,
 „ *contentionum ac discordiæ*, non
 „ modo inter diversarum partium Christianos,
 „ sed & eos inter qui iisdem
 „ partibus sunt addicti; altero vero *sterili-*

„ *rilitatis* , ita ut etiam qui omnium
 „ maxime videntur esse pacifici , nihil ta-
 „ men fere è Theologia sua quam ina-
 „ nes & frigidas reportent ideas , quæ ad
 „ omne bonum opus eos , haud secus ac
 „ hominum ceteros , relinquunt ineptos ;
 „ nedum nobis exhibeant , uti primis
 „ Christianismi temporibus , animos di-
 „ vinores , rebus terrenis mortuos , cœ-
 „ lestium amore & contemplatione fla-
 „ grantes , quales sui temporis notat
 „ Paulus , 2. Cor. 4: 18. *Non spectamus*
 „ *ea quæ visibilia sunt ; sed quæ sunt*
 „ *invisibilia :* & Col. 3: 3. *Mortui estis :*
 „ *Et vita vestra est abscondita cum*
 „ *Christo in Deo.*

„ Quæ & quanta inde in totum Chri-
 „ stianismum deriventur mala , eaque
 „ nunquam satis deploranda , non est hu-
 „ jus loci indicare. Satis esto animad-
 „ vertere , nihil magis esse contrarium iis
 „ quæ Christus ipse nobis tanquam præ-
 „ cipua ac omne punctum ferentia , com-
 „ mendavit atque reliquit. *Beati pacifi-*
 „ *ci ; namque Filii Dei vocabuntur.*

AUCTORIS PRÆFATIO

„ *Pacem relinquo vobis. Diligite vos*
„ *invicem. In eo cognoscent omnes vos*
„ *esse meos discipulos si mutuo vos amo-*
„ *re prosequimini. Qui manet in me, &*
„ *ego in eo, is multum fert fructum:*
„ *in hoc glorificatur Pater meus si vos*
„ *multum fructum feratis, meique di-*
„ *scipuli eritis. Vos elegi & eo destina-*
„ *vi ut abeatis & fructum feratis, ve-*
„ *sterque fructus duret. Omnis arbor*
„ *bona bonos fructus edit. Omnis arbor*
„ *bonum fructum non ferens, excidi-*
„ *tur, & in ignem conjicitur. vid.*
„ *Matth. 8. Joan. 13. & 15. &c.*

„ Equidem hisce duobus malis modo
„ indicatis, possit vivide mederi sola Spi-
„ ritus Christi vivida possessio, atque
„ ejus in animæ recessu inhabitatio qui
„ dixit, *is in quo ego sum, multum fert*
„ *fructum; & sine me, sive extra me,*
„ *nihil facere potestis.* At nihil impedit
„ quin in rerum externarum genere, in
„ didactica externa, in libris, optari
„ possit ut ostendatur vel remedium i-
„ psium diductius, aut clarius, aut fre-
quen-

„quentius quam vulgo fit ; vel media
 „tutissima ad illud attingendi , eoque
 „fruendi. Id quam rarum sit , sciunt qui
 „ferio quæsierunt. Ego rei frequentio-
 „ris reddendæ adductus desiderio , quæ
 „sequuntur in lucem emitto &c.

Erant autem ea hi ipsi , qui in se-
 quentibus comparebunt , tractatuli , &
 quidem primo , *Theologia Pacifica sive*
Comparativa , de qua idem interpretes ita.

„ In eo Tractatu cum divinæ *Pacis*
 „solida fundamenta non hominum aut
 „partium opinionibus ; sed ipsi rerum
 „ponderi sint superimposita , nullus du-
 „bito quin apud æquos animos & pre-
 „cium suum habeat , & fructum profe-
 „rat pacis abundantem : Deinde & reli-
 „qui de *Theologia Mystica* tractatuli , &
 „ideo quidem , ex ejus mente , quod quæ
 „in primo tanquam præcipua & funda-
 „mentalia rerum capita commendantur ,
 „Amor Dei scilicet , cum vera Fide con-
 „junctus , itemque horum acquirendo-
 „rum media , pœnitentia nempe , ac sui
 „ipsius abnegatio , & mentis purifica-

AUCTORIS PRÆFATIO

„tio &c. dicantur apud *Mysticos* multo
 „magis tractari quam apud alios Theo-
 „logos; quod si verum sit, sperandum
 „esse eam ab illis exhibitum iri Theolo-
 „giam quæ pro *frigida sterilitate*, ni-
 „mum ubique regnante, *fertilitatem*
 „in omni bono opere Christianismo con-
 „ciliari possit. qua de causa eosdem per-
 „sequentia innotescere cupivit interpres.

Possim hanc ejus mentem, hæc ejus
 verba, non injuria pro meis adopta-
 re, sicut & facio: verum id minime im-
 pedit quin ipsemet meam quoque men-
 tem propriis verbis de sequentibus o-
 pusculis amplius exprimam.

Eorum primum, (de *Theologia Pa-*
cifica sive Comparativa) quod a me
 non est, nolui tamen abesse; sed præ-
 mitti potius, quod præparationis neces-
 sariæ loco possit esse omnibus qui vere
 & utiliter aliquid in Theologia Mystica
 legere volent ac intelligere: neque enim
 ad hoc apti sunt animi rixosi, qui pa-
 cem nec diligunt, neque pro pacis fun-
 damento Amorem Dei ponunt ac proximi,
 mi,

mi, cum accurata discretionē eorum
 quæ in Christiana Religione essentialia
 sunt ab accessoriis. quæ vero quis-
 quis ex animo tenuerit, hoc est, quis-
 quis Dei proximique Amorem & quæ his
 essentialiter annexa sunt, & in Theolo-
 gia Pacifica sive Comparativa sunt indi-
 cata, pacifico atque integro animo ob-
 servaverit, hoc ipso revera reddetur aptus
 quicum Theologia vere spiritualis, my-
 stica ac divina, ab ipso divino ejus fon-
 te communicetur: hæ siquidem sint pro-
 missiones Christi fallere nesciæ; *Qui ha-
 bet mandata mea, & servat ea; ille
 est qui diligit me: qui autem diligit
 me, diligetur à Patre meo; & ego
 diligam eum, & MANIFESTABO EI
 ME IPSUM.* Ac paulo post: *Si quis
 diligit me, sermonem meum servabit,
 & Pater meus diliget eum, & ad
 eum VENIEMUS, ET MANSIONEM
 CUM EO FACIEMUS.* Joan. 14: 21,
 23. Hoc est: qui servat essentialia
 Christianismi, atque adeo diligit Chri-
 stum ejusque Patrem, (quod & Amo-

AUCTORIS PRÆFATIO

rem proximi, teste Apostolo, I. Joan. 4. includit) is non solum est in statu gratiæ ac salutis, sed & in speciali quodam gradu Amoris quo diligitur a Patre & a Christo, unde fit ut speciali modo sese Christus ei, ejus interioribus, menti ac voluntati videndum, cognoscendum, sentiendum, luminosè fruendum præbeat; ut Pater & Christus speciali modo ad eum veniant, cum peculiariter afficiant, ejus fundum, intellectum, cor, inhabitent, possideant, utque ita fiant perpetui Patris ac Christi contemplatores, Amatoresque Dei intus possessi indeficientes, singularissimique atque purissimi. Hoc autem nihil aliud est quam ipsa THEOLOGIA MYSTICA, id est, Religionis Christianæ Essentia observata, & Dei Christique speciali unione, lumine, amoreque coronata; Religio, inquam, Christiana in splendore intimo ac divino possessa, status Contemplationis & Amoris continui, Uniove cum Deo, quantum quidem hac in vita placet, Patri sese communicare.

A D L E C T O R E S.

Ultimis hisce annis tantus de ea Theologia undiquaque incessit rumor, ut hominum quilibet, ineruditus æque ac eruditus, voluerit de ea aliquid scire, imo & judicare & garrere, sive bono sive malo animo. Inter alia ad ejus cognitionem aliquam facientia, editus est sermone Gallico, libellus (a) tres quatuorve egregios ac Mystici argumenti intimi tractatus continens, quorum primus erat & præcipuus, celebris illa *Theologia Germanica*, sive *Teutonica*, nec reliqui minoris pretii: quibus vero præfixa erat *Præfatio* partim *generaliora Theologiæ Mysticæ* indicans, partim eandem à censuris nonnullorum ejus adversariorum vindicans. atque hoc modo dabatur occasio ut quivis, quem hujus argumenti curiositas tenebat, posset certius quam vulgari è rumore scire, ecquid vere esset Mystica illa Theologia tantopere ab omnibus, tunc quidem, decantata, ab aliis laudata, ab aliis vituperata. Cum

au-

(a) *La Theologie Réelle, vulgairement dite la Theologie Germanique, avec quelques autres traités de même nature &c. Amsterd. 1700. chez H. Wetstein.*

AUCTORIS PRÆFATIO

autem nec omnes eruditi Gallice scientes essent, excerpta sunt deinde ex eo libro, tum nonnulla quæ in ejus præfatione de *Theologia Mystica generalius* dicta erant, relictis specialioribus, vel res controversas respicientibus; tum ex ejusdem libri ultima parte tota de *Characteribus Mysticorum Epistola*: quæ quidem ipsa sunt quæ præfationis hujus initio diximus Latine esse reddita, ac suppresso nomine in lucem emissa sub titulo, *Theologiæ Pacificæ itemque Mysticæ, ac hujus Auctorum Idea brevior, in gratiam Eruditorum qui sine multa lectione succinctam simulque solidam ac fructuosam rerum Theologicarum & Spiritualium expositionem desiderant*: quæ vero nunc, ut ibidem monui, hic restituo annotationibus & additionibus, in ipso etiam Catalogo, auctiora.

Ea ad propositum quod suscepi, spero suffectura, scilicet, primo, ut qui de *Theologia Mystica* judicare voluerint, ii requisitam ad-judicandum de ea, saltem generalius, ejus cognitionem inde haurire

A D L E C T O R E S.

rire possint quantum necesse est; atque ita evitare indignam illam homine erudito, imo & idiota vilissimo, agendi rationem, qua nonnulli, etiam inter Theologos non parum superciliosi, cæco impetu de Theologia illa judicium proferre ausi sunt ac audent, licet ejus eousque rudes atque ignari, ut aliam omnino Theologiam, videlicet Allegoricam sive Symbolicam, pro Mystica, haud secus ac nubem pro Junone, accipiant. Deinde vero, quæ propositi altera & præcipua pars est, ut si qui se ad eam Theologiam senserint aliquo modo propensos, hîc illi discere possint ubi vel in quibus Auctoribus ea reperienda sunt quæ cuivis possint adjumento esse ac emolumento.

Rerum mysticarum tractationem non promittimus; neque earumdem, ipsorumque Auctorum Mysticorum vel *Historiam*, vel *Bibliothecam universalem* promittimus: sed illarum quidem generalissimam ac brevissimam monstrationem sive mentionem: horum vero di-

ver-

AUCTORIS PRÆFATIO

versos quosdam *characteres* internos atque præcipuos, interdum & doctrinæ summam, principiorumque & methodi, aut viarum quibus varii varie utuntur, multiplicem diversitatem, quam ad aliquot species, nec oppido multas, contraximus, indicatis ad unamquamque Auctoribus cum è recentioribus (& his quidem præcipue,) tum ex antiquioribus, non quidem omnibus, imo neque tot quot potuissent; sed è præcipuis parte non minus præcipuâ, iisque quæ exemplorum & mediorum loco sint ad scopum nostrum sufficientissima: quæ vero interdum nonnullis quæ historica sunt, haud secus ac ornamentis non minus utilibus quam jucundis, hinc inde condecorata sunt. Scopus autem hic est præcipuus, ut siquidem inter plures Lectores bonarum ac divinarum rerum cupidos non eadem sit ubique animi constitutio, non ejusdem speciei propensio, non gustus animæ idem vel similis, possit unusquisque hic, veluti in BIBLIOTHECA aliqua contracta ac SELECTA, videre quemnam

nam è pluribus debeat eligere scriptoribus, quo propensione suæ ea in re gustuique singulari fieri possit satis: tum si boni idem revera fuerit animi, occasionem forte ita nanciscatur ad assequenda insignia quædam ac sola solida emolumenta, præ quibus deinde omnia cetera quæ in mundo sunt, non possint non ei vilescere admodum. Sumus namque revera conditi ad spiritualia, ad cœlestia, ad intima, ad mystica atque arcana Dei mirabilia: neque in æternum quietus erit animus noster donec illa inveniamus atque acquiramus.

Si quibusdam forte videatur Mysticos Auctores quosdam interdum a me nimium extolli, respondebo verbis Augustini Matrem suam laudantis, (a) *Non ejus (Domine) sed tua dicam dona in ea.* Omne donum, & perfectum donum (quod Amorem Dei & æterna sapit) cum sit à Domino, sintque opera Dei in Sanctis suis mirabilia, non possum ea non satis digne ego æstimare, ut inde glorificetur

(a) Conf. VIII. 1.

AUCTORIS PRÆFATIO

ficetur Pater qui est in cœlis, præsertim vero quando ipsa nihil aliud sunt quam stimuli, documenta, & hortationes ad amandum, ad laudandum, ad magnificiendum UNUM DOMINUM, ac contemnenda cetera omnia quæ extra illum sunt, nec ad eum ducunt.

Ut autem non sine fructu legi possint mystica quælibet scripta atque argumenta, non ferant ægre Lectores si unam hic atque alteram (a) eis cautelam proposuero, viamque ea certius adeundi atque legendi indicavero & commendavero.

Non semel monui atque explicui, in Libris de *Eruditione* præsertim, duorum generum esse in nobis facultates pro objectis quibusvis, sive spiritualibus, sive corporeis; facultates videlicet *reales*, quæ objectum ipsum ejusve verissima influxiva, (ut sic dicam) re ipsa suscipiunt: Deinde facultates *umbratiles*, quæ absente objecto ejusque influxivis remotis, ideas

(a) Vide, quæ & huc referri possunt, de *Erudit.* Lib. II. §. LV. LVI. pag. 311. &c. ad 317.

ideas imaginesve horum suscipiunt solas, imo & fabricant. Hanc facultatem *Rationis* humanæ esse ostendi, quam & propterea, cum ejus actibus ac exercitio, vocavi *activam*: illas vero *passivas*, utpote quæ non efficiant objecta sua eorumve influvia viva, sed patiantur ea ac recipiant; quales vero facultates, pro spiritualibus Objectis sunt desiderium sive fames quædam animæ intima atque etiam immensa, item & intellectus passivus, oculus animæ spiritualis, (in quibus fidei sedes est) multique deinde spiritualiores in intimis sensus, à Deo, divinis, eorumque effluentiis realiter, vive, solide, affici idonei: quando contrà, anima à *Rationis* ideis affecta, superficialiter, umbratiliter, mortuo modo ac evanido prorsusque picto afficitur solum, siquidem ipsæmet ideæ, picturæ duntaxat quædam mortuæ sunt ac steriles, & prorsus evanidæ.

Nunc si quis ad Lectionem rerum mysticarum adferat tantum facultatem idealem, umbratilemque *Rationis* suæ, & per intellectum suum activum legendo

AUCTORIS PRÆFATIO

excitet sibi industria sua *ideas*, rebus quas legit quantum quidem potest congruentissimas, quas deinde jungat, disjungat, comparet, consequentias inde commodas, incommodas eliciat, amplificetque & ratiocinetur de his magis ac magis, neque aliud quicquam adhibeat quam suam isto modo agentem humanam Rationem; frustra est omnino ille, & vana sæpius figmenta, chimæras absurdas sibi tantum isto pacto fabricabitur vel è Sanctissimorum scriptorum lectione diligentissima, ob ingentem scilicet Rationis nostræ depravationem atque corruptionem: Unde & non poterit quin res ipsas vel diviniores ignoret non tantum, sed & rejiciat, & earum, divinorumque Auctorum, fiat tandem protervus irrisor atque adversarius singularis. Imo quamvis idem omnium rerum spiritalium vel rectissimas sibi ideas ratiocinando efformare posset, (quod tamen fieri non potest,) nihil tamen sibi efficeret quam inanes umbras picturasque plane infœcundas ac vita vacuas, quæ tantum abest ut ipsius ani-

mam

nam fatiare possent atque vivificare ; ipsam potius vento stygio , diabolica superbia , stolidaque ac vana gloria imple-
rent duntaxat , atque ad profundio-
rem damnationem deducerent , & nihil præ-
terea.

At si quis adhibitæ ad lectionem rerum
Mysticarum facultati Rationis umbratili
pictori æque jungat & facultates *reales*
boni ac vivi desiderii intellectusque passi-
vi , quæ & ipsum Deum , resque divinas
ipsas , ac earum vividos effectus actus-
que reales respiciant atque anhelent , ille
vero demum incipit esse aliquantum in
meliori via , in qua neque successu , fru-
ctu ac scopo destitutum sese videbit , mo-
do bene ille , & non male , pergat.

Male enim pergunt multi qui bene in-
ceperant ; at quanto magis qui non satis
bene inceperant. Non bene satis incepe-
runt qui pro scopo habent acquirere ideas
ac cognitiones rerum spiritualium , uti
illas sciant , invocato etiam ad hoc divi-
no auxilio. Melius incipiunt qui pro sco-
po habent ipsum quærere Deum ejusque

AUCTORIS PRÆFATIO

operationes vivificas ac reales , ut cum
ipsis tandem uniantur : qui tamen cum
infirmi sint adhuc , ac captûs crassioris ,
adhibent simul , uti subsidia quædam ,
non res tantummodo aliquas externas ,
sed & ipsius Rationis suæ ideas atque in-
dustriam , occupando illam quantum fieri
potest circa spiritualia objecta sibi idealiter
repræsentanda , adjunctis simul desi-
derii sinceri ad Deum precibus , uti reali-
tatem ille ipsam , divinasque sui effluen-
tias & lumina non Rationi modo , sed
& cordi , & intellectui passivo , & totis
intimis nostris benigne largiatur. Quo
vero in exercitio , facultatum realium &
umbratiliam simul , si se illi gerant ita ut
potiores partes tribuant Rationi , eam
magis circa ideas per ratiocinia exercen-
do , quam cor , intellectum , desideria
intimaque omnia Deo ejusque operatio-
nibus ardentius & sæpius offerendo ; tunc
vel nihil promovebunt omnino , vel fa-
cultate ideali activaque superiores partes
tandem obtinente , degenerabunt in idea-
les , superficialios , superbos falsosque &
de-

deceptos spirituales ac Mysticos, licet prius quædam vere solida atque realia iidem habuerint, ac propterea sibi solidissimi adhuc videantur, ceterosque sui non similes, sæpe solidissimos, audacissime atque confidentissime judicent & condemnent. quo quidem periculo ac deceptionis genere vix ullum aliud quod sit majus accidere potest. At si in facultatibus realibus exercendis Deoque offerendis sese magis ac magis exercent quam in scrutandis discutiendisque rerum divinarum activitate Rationis suæ ideis; si circa has, earumque partes, casus, difficultates ratiocinationibus examinandas atque perpendendas sese indies minus minusque occupent, ut ex occasione eorum quæ velut præcipua iis repræsentantur, ad Deum elevent solidum illum suum ac sincerum Mentis facultatumque realium & intimarum fundum, (quem Petrus τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν nominat: 2 Petr. 3: 1.); tum verò versantur tutius in recta proficiendi via, in qua, ubi Deus eorum sinceritatem ac perseverantiam satis explo-

AUCTORIS PRÆFATIO

raverit, auxilium procul dubio mittet suum, lucis suæ sapientiæque divinæ participationem aliquam, quæ Rationis activitatem corruptam ejusque imperfectas ac umbratiles ideas magis magisque supprimat, ipsa agentis, dirigentisque partes suscipiente, & hominis animam præparante ad receptionem magni & adorandi hospitis illius qui dixit ipsemet, *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem cum eo faciemus.* ad quem vero potenti & benigno Spiritus sui auxilio nos adducat bonus ille & misericors & suavis Dominus, cujus præsentia est immensus omnis boni, omnis veri, omnis jucundi thesaurus ac fundus realissimus, indeficiens, omnesque mentium vel amplissimas & tantum non infinitas facultates ac recessus gratiæ suæ, gloriæque rivis, atque semet ipso, realissime ac beatissime implere idoneus, extra quem omnia sunt fumus, falsitas, mors, & mortifera nugamenta vanorum hominum à Satana excæcatorum, & ad perniciem æternam per ea deductorum.

** O Domine fac ut aperiantur oculi nostri ut videamus! † O Domine, Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & quam bonus sis his qui recto sunt corde; & salvi erimus.*

CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS; QUONIAM IN SECVLUM MISERICORDIA EJUS. Amen!

* Matth. 20. † Pf. 73. 80. & 118.

CONTENTA HOC VOLUMINE.

- I. THEOLOGIÆ puræ ac pacificæ vera & solida FUNDAMENTA, sive THEOLOGIA COMPARATIVA. pag. 1
- II. THEOLOGIÆ MYSTICÆ IDEA GENERALIOR. 55
- III. Epistola de PRINCIPIIS & CHARACTERIBUS MYSTICORUM. 97
- IV. Auctoris ANNOTATIONES & ADDITIONES ad eam Epistolam. 267
- V. CATALOGUS plurimorum Auctorum qui de rebus Mysticis aut spiritualibus scripserunt. 321

INDICULI MATERIARUM
in
OPUSCULIS
SEQUENTIBUS.

IN THEOLOGIA COMPARATIVA.

- PROOEMIUM. *Fundamentum distinctionis Theologiae in absolutam & comparativam. Utriusque descriptio. Incommoda Theologia comparativa ignorantiam consecuta. Opusculi distributio.* Num. 1. ad 3.
- I. SECTIO PRIMA. *De Theologia comparativa in generali. De statu in quo primum homo creatus. Officium hominis in illo statu. Ratio interdicti de Arbore scientiae boni & mali. Religionis pomeria post lapsum dilatata. Theologia comparativa Idea generalis.* num. 4. ad 7.
- II. SECTIO SECUNDA, *In qua ea Theologia magis particulariter & distincte explicatur. Schema totius RELIGIONIS CHRISTIANÆ, singularum ejus partium pondus ostendens. Duo in eo observatione dignissima.* 8. ad 24.
- III. SECTIO TERTIA, *in qua variae propositiones & Corollaria utilissima à Theologiae Comparativæ explicatione deducuntur. Modus discer-*

INDICULI MATERIARUM.

discernendi inter principia Religionis fundamentalia & non-fundamentalia: item inter errores periculosos & innoxios. 25--34

CONCLUSIO, in qua Theologiæ Comparativæ utilitates magis particulariter indicantur. Rursus de incommodis ex ejus ignorantia ortis. Ejusdem cultor describitur. Peroratio. 35. 36

IN IDEA GENERALI THEOL. MYST.

Absurdos esse qui propter loquendi modos Theologiam Mysticam contemnunt. num. I.

Realitas Theol. Mystica ad cujusvis conscientiam, imo & ipsius Rationis captum, ex ejus principio, fine, natura & delineatione ipsius, pluribus ostenditur. II--IV.

Terminos ejus Rationi consentaneos esse. V--VII.

Quæ Theologia Mystica cum Religione Christiana unum idemque sit, nec ne; hæcque per illam renovanda. VIII--XI.

Ejus compendiosa idea, ubi. deque ea intelligenda cautelæ duæ. XII. XIII.

Mysticorum præcipuæ materiæ, sive argumenta, in SCRIPTURA Sacra, & in scriptis Sanctorum ostenduntur. XIV. XV.

Speciatim in S. Macario circa Contemplationem utramque, & Amorem purum. XVI.

XVII.

IN

INDICULI MATERIARUM.

IN EPISTOLA DE PRINCIPIIS ET
CHARACTERIBUS MYSTICORUM.

*Ejus occasio & scopus. Quibus in rebus Mystici
consentiant. in quibus sint varii ; & quibus
de causis.* num. 1--3.

SECT. (1.) Character fundi &c.

I. *Joannes Taulerus ; & quidam huc pertinen-
tes.* num. 4--7

(2.) Character gradationum per mortes
& vitas.

II. *Henricus Harphius.* 8. 9.

(3.) Character puritatis ad unionem.

III. *Joannes à Cruce ; & qui huc pertinent.*
10--18.

(4.) Character affectuosæ Orationis.

IV. *Sta. Teresia ; & quidam ejusdem chara-
cteris.* 19--24

(5.) Character Amoris puri.

V. *Sta. Catharina Genuensis , & qui hujus sunt
ordinis nonnulli.* 25--28

(6.) Character Crucis Christi.

VI. *B. Angela de Fulginio : & quidam huc
referendi.* 29--34

(7.) Character voluntatis Dei.

VII. *Benedictus de Canfeld , & qui huc spe-
ctant aliqui.* 35--37.

(8.)

INDICULI MATERIARUM.

(8.) Character simplicitatis.

VIII. *Joannes Engelbertus, & nonnulli qui huc
appropinquant.* 38

(9.) Character Revelationis ac Prophetiæ.

IX. *SS. Hildegardis, Elisabeta, Mechtildis,
Brigitta, & nonnulli illi accensendi.* 39--41

(10.) Character radicalis.

X. *Jacob Bœmius: & qui huc referri pos-
sint.* 42--50

(11.) Character interioritatis.

XI. *Hiel: & qui ad hujus classem referen-
di.* 51--58

(12.) Character divini timoris.

XII. *D. G. Anonymus Belga; & quidam hu-
jus characteris similes.* 59-62

(13.) Character præsentia Dei, cum
praxi &c.

XIII. *Margarita Evangelica, Anonyma. 64-66
Ascetici, Practici, atque Contemplatores
&c. huc spectantes.* 67--83

(14.) Character Renovationis Spiritus
Evangelici.

XIV. *Antonia Bourignonia. & de quibusdam
in utramque partem. speciatim de Bailii hi-
storico articulo adversus eam. (de quo vide
annot. & addit.)* 84-90

*Conclusio Characterum, & conformitas eorum
cum Scriptura Sacra.* 91--98

Oblo-

INDICULI MATERIARUM.

<i>Oblocutionum quæ Mysticis fiunt; cause.</i>	99
<i>Consilium de seligendis Mysticis quibusdam maxime precipuis, deque iis legendis.</i>	100

I. JOAN. III. I.

Propter hoc Mundus non novit nos; quia
non novit Deum.

THEO-


THEOLOGIAE PURÆ ac PACIFICÆ
Vera ac Solida FUNDAMENTA,

sive

THEOLOGIA
COMPARATIVA.

*Argumentum ut rarissimum, & hucusque tantum
non ommissum; ita omnibus, qui in VERA
THEOLOGIA instrui cupiunt,
pernecessarium.*

In Oratione ad Auditores Academicos
propositum.



Gemmula grata, magis quam magno pondere ferrum.

THEOLOGICAE PURAE ET PRACTICAE
VARIORUM AUCTORUM

THEOLOGIA

COMPARATIVA

ARGUMENTUM
THEOLOGIA PURAE ET PRACTICAE
VARIORUM AUCTORUM

In Oratione ad Augusti Academiam
proposita

Genevae anno 1773

EDITOR

LECTORI SALUTEM.

Numerabiles sunt, Christiane Lector, qui de Theologia absoluta scripserunt, idque haud magno cum emolumento; qui vero de Theologia Comparativa scripserit, haecenus equidem reperi neminem.

Discursus hic, ubi eum forte fortuna primum legere contigit, tantæ excellentiæ mihi visus est, deque materia tam necessaria, ac simul, isto quidem salutari modo, tam raro pertractata; ut omnibus qui solide in divinis, inque Christianismo sapere cupiunt, rem gratam me facturum speraverim, si eum in publicum emitterem.

Auctorem si nosse cupis, studiosorum in Theologia præceptorem quondam fuisse, aut saltem ejus-

modi præceptoris vices in aliqua
Schola publica aliquantisper obiis-
se, satis aperte loquitur ipsa
Dissertatio: amplius scire non
opus, forte non expedit, in tan-
to partium inter Christianos stu-
dio. Optandum interim, ut qui
aliis divina docendis præsent, si-
mili eos doctrina imbuerent: tunc
enim Ecclesias ac Respublicas
Christianas, privatos item quos-
que in omni bono, pace ac gra-
tia apud Deum & Homines, vi-
deremus increfcere ac proficere.
Quod faxit D. O. M. Cui gloria
in Seculum. Amen.

THEO.

THEOLOGIA
 PACIFICA,
 SIVE
 COMPARATIVA,
 PRO O E M I U M.

Fundamentum distinctionis Theologiæ in absolutam & Comparativam. Utriusque descriptio. Incommoda Theologiæ Comparativæ ignorantiam consecuta. Opusculi distributio.

§. I.



Uamvis omnes Religio-
 nis Christianæ partes in
 eo inter se conveniunt,
 quod a Deo revelatæ
 & præscriptæ, nec non ad Dei glo-
 riam hominumque salutem ordinatæ
 sint; non idem tamen aut equale omni-
 bus inest pondus ac momentum: Sed
 in æqua sani iudicii bilance librata,
 aliæ aliis graviores esse deprehendun-
 tur. Monent Prophetæ, *misericordiam,*

6 *Theologia Pacifica,*

Dei notitiam, & obsequium ipsius mandatis præstitum, magis Deo grata esse, quam sacrificia & holocausta, 1 Sam. 15. 22. Hof. 6. 6. Christus Dominus iudicium, misericordiam & fidem, cum decimis menthæ, cymini, & anisi collata, τὰ βαρύτερα τῶ νόμῳ graviora legis appellat, Matth. 23. 23. Ex hac consideratione fuit distinctio peritiæ, doctrinæ five cognitionis, quæ circa religionem versatur; & Doctrina seu cognitio Theologica vocari potest; in Absolutam, & Respectivam, seu Comparativam. Cognitio Theologica Absoluta suum objectum considerat, quatenus a Deo revelatum, præscriptum aut institutum, quæque nobis in Dei verbo credenda vel facienda proponuntur, investigat; & ab aliis secernit. Cognitio Comparativa rerum ad Religionem spectantium, five eæ sint dogmata, five præcepta, five ritus sacri; pondus ac momentum expendit: ordinem, quo se mutuo respiciunt observat: accessoria a principalibus, circumstantialia a substantialibus, media denique a finibus discernere & distinguere docet.

§. 2. In oratione præliminari ad Prælectiones Theologicas Superioris anni,
De

De Diffidiis , circa Religionem , in Ecclesia Christiana longe lateque grassantibus verba faciens, hanc distinctionem obiter attigi : & inter remedia huic pesti sanandæ accommoda, *Cognitionem Theologicam Comparativam* laudavi. Et quo sæpius rem , animo revolvo, attentiusque confidero , eo magis persuadeor , altiusque menti infigitur opinio , de insigni Cognitionis proxime dictæ usu ac necessitate. Nec dubito , *Auditores* , quin fitis in eandem mecum sententiam haud gravate concessuri , ubi perspexeritis degenerem & corruptum Ecclesiæ Christianæ Statum, hujus cognitionis defectui , magna ex parte originem debere. Quod enim apud omnium partium Christianos inculta ac neglecta jacet pietas , friget Charitas erga Deum , & dilectio proximi ; quod in extirpandis vitiis, & pravis naturæ corruptæ affectibus mortificandis , segnes & socordes se præbent ; dum propensis animorum Studiis , quibusdam dogmatis vel obscuris vel incertis ; certe non necessariis, fovendis & propagandis, aliis ejusdem monetæ parum noxiis, suppressendis incumbunt : quod ritus quos-

dam Sacros, neque necessarios neque noxios, alii mordicus retinent, alii cane pejus & angue averfantur: quod cum peccatis & in peccato degentibus pacem colunt, cum erroribus & errantibus internecinum bellum gerunt; hæc, non tam *Cognitionis Theologicæ Absolutæ*, quam *Comparativæ* defectui, adscribenda sunt. Neque in culpa est ullius mandati, aut veritatis divinæ absolutæ (quæ fit alicujus ad salutem momenti) ignoratio. Sed quia Christianorum plerique vel non norunt, vel non attendunt; quantum *pœnitentia*, *carnis mortificatio*, *sui ipsius abnegatio*, *charitas*, &c. *Orthodoxiæ*; quantum *vitia & peccata* erroribus; (salvis utrobique Religionis principiis essentialibus) præponderant. Quum itaque multiplex fit *Cognitionis Theologicæ Comparativæ* usus, tum in vita ac moribus privatim instituendis, cum in rebus Christianorum publicis, & ad Ecclesiarum pacem ac concordiam spectantibus, rite constituendis, (ut partim ex jam dictis haud obscure elucet, partim ex dicendis clarius apparebit) rem vobis utilem, *Commilitones Charissimi*, nec aliis Auditoribus ingratham, fa-

facturus mihi videor, si *clavem* monstravero, cujus beneficio, ad intima cognitionis sæpius laudatæ adyta penetrare valeatis.

§. 3. Ne extra oleas evagetur hæc nostra Dissertatio, quæ dicturus sum, ad tria summa capita revocabo. 1. *Generalem Doctrinam Theologicam Comparativam typum delineabo.* 2. *Eam magis particulariter distincte & enucleate explicabo.* 3. *Propositiones sive conclusiones aliquot, quæ ex hac Doctrina Theologicæ Comparativæ efflorescunt, vestra observatione dignas, subnectam.*

SECTIO PRIMA.

In qua Theologia Comparativa generali quodam modo tractatur. De statu in quo primum homo creatus. Officium hominis in illo statu. Ratio interdicti de arbore scientiæ boni & mali. Religionis pomeria post lapsum dilatata. Theologiæ Comparativæ Idea generalis.

§. 4. Quod primum attinet; Sciendum, *essentiam Religionis*, sive officii quod homo Deo debet, vel Deus ab homine postulat, in quocunque sive

integritatis, five reparationis post lapsum, five consummatæ fælicitatis statu; in solo supremi Numinis amore & dilectione sitam esse; quod nos docet Christus, Matth. 22. 37. ubi dicit, *Primum & maximum legis præceptum esse, ut Dominum Deum nostrum diligamus toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus.* Deus enim, cum *αὐτάρκης* sit, & ab omni alio independens, creaturis, aut earum opera nullatenus indigebat: sed cum illi visum fuerit pro liberrimo suo beneplacito, cum aliquo extra se, semet oblectare; hunc in finem, post Angelorum Creationem & lapsum, hominem ad sui ipsius imaginem effinxit, quocum amicitiam coleret, omniumque bonorum communionem haberet: Seipsum, una cum omnibus suis perfectionibus, homini deliciose fruendum, exhibendo: & gratum reciproci amoris Symbolum ab homine referendo. Et quoniam Homo creatura est, ex anima, substantia spiritali, & corpore materiali composita; Deus mundum hunc aspectabilem & corporeum creavit, innumeris objectis, ad sensus externos oblectandos, & facultates (quæ animæ, qua corpo-

ri unitæ ac sociatæ conveniunt) recreandas idoneis, copiose instruxit, hominique tanquam Domino subjecit: eo fine, ut quemadmodum anima Deum habebat unicum & solum bonum, immensæ ipsius capacitati par & proportionatum; ita & corpori non deessent objecta congrua & jucunda. Atque huic Dei consilio egregie quadrat historia Creationis, in qua legimus, totum hunc Mundum visibilem prius creatum & absolutum fuisse, tanquam magnificentum & omnigena supellectili instructissimum palatium, deinde factum esse hominem futurum ejus Dominum, & Mundi dominio condecoratum.

§. 5. Pro beneficiis tam immensis, larga manu super hominem effusis, non aliud grati animi testimonium postulavit Deus præter *Amorem*: quem ut nobilem, generosum, ingenuum ac illimitatum, non determinatum, coactum, aut compedibus ligatum, ab homine reciperet; eum sui juris esse voluit, & liberrima, facultatum suarum actus, ad hæc vel illa objecta pro arbitrio determinandi, Deo per amorem adhærendi, vel ab eo deficiendi, potestate do-

donavit. Et modo Deum solum amare, ac in deliciis habere perseveraret, nihil illi interdictum fuit, omnia licebant; & libera, non in sensu physico tantum, sed etiam morali, de suis facultatibus, & creaturis ipsius dominio subditis, citra Dei offensam pro arbitrio statuendi, potestate gaudebat. Quod *arborem Scientiæ boni & mali* attinet, a qua ut abstineret, Adamo in mandatis datum, testatur sacra pagina; hoc non ideo factum, quod Deus jucundi illius fructus esum homini invideret, aut liberam, suis facultatibus, omnibusque illius imperio subiectis, salvo Numinis amore, utendi potestatem, ulla ex parte restrictam aut imminutam vellet: Sed verisimile est, Deum, remota & inchoata quadam ad creaturarum amorem dispositione, jam tum in homine, observata, unius arboris usum illi interdixisse; vel quia ejus versus eam affectus, magis quam par erat propendebat; vel ut hoc symbolo hominem admoneret, reliqua ipsi permessa, se *clientelæ* tantum *jure* possidere, cum *Dependentia a Deo* tanquam supremo omnium Domino, cui eo ex capite summum debebat amorem.

§. 6. Postquam homo libertate sibi concessa abutens, amorem suum a Deo ad creaturas transferendo, legem creationis, & amicitiae cum Deo contractae foedus violasset, amorem Dei perdidisset, & cum eo gratiosam Numinis in mente ipsius habitantis, eamque lumine & gaudio replentis, praesentiam; in cuius locum successerunt tenebrae, angores, & inquietudines: postquam, inquam, homo a Deo defecisset, & Deus hominem lapsum reparare statuisset, *Religionis pomaria* dilatari caeperunt, & praeter Numinis amorem deperditum, qui inter legis divinae praeccepta, & officia religionis, primum ac praecipuum locum semper obtinet; alia plura ab homine observanda, revelata, praescripta & instituta sunt; quod essent *media*, partim *necessaria*, partim *utilia*, deperditum Numinis amorem recuperandi, hominemque ab officio aberrantem revocandi.

§. 7. Ex dictis assurgit haec brevis & succincta *Doctrina Theologica Comparativa* idea generalis. *Amor Numinis* in statu naturae integrae omnes religionis numeros implevit, nec aliud homini incumberebat officium, nisi *ut dominum Deum suum*

suum toto corde amaret. In statu vero naturæ humanæ lapsæ ac reparandæ, idem Numinis amor, primum, præcipuum ac capitale Religionis præceptum constituit, quod solum propter se expetitur, & cujus gratia omnia alia ad Religionem spectantia instituta sunt: adeo ut amor Dei, cum reliquis Religionis Christianæ partibus collatus, finis vel termini locum teneat, ad quem eæ omnes tanquam via, seu media referuntur & ordinantur.

SECTIO SECUNDA.

In qua Theologia Comparativa magis particulariter & distincte explicatur. Schema totius RELIGIONIS CHRISTIANÆ, singularum ejus partium pondus ostendens. Duq; in eo observatione dignissima.

§. 8. Pro Doctrinæ Theologicæ Comparativæ ita summam propositæ, explicatione, magis distincta & particulari; deinceps ostendendum, quomodo, & quo ordine, alia omnia Religionis præcepta & instituta, *charitatem* sive Numinis amorem respiciant, &

& coelesti huic flammæ , in hominum cordibus accendendæ inferviant.

§. 9. Primo igitur , quia homo *amicitiæ fœdus* , quo eum sibi copulare dignatus est Deus turpiter violaverat ; amorem & dilectionem soli Deo debitam in Creaturas transferendo , Dei indignationem adversus se commoverat , & mortem æternam promeruerat ; impossibile erat ut in integrum restituèretur absque gratia & misericordia Dei , quæ offensam homini condonaret , ea lege (qua nulla æquior optari vel concedi poterat) ut homo ad officium , id est , *Numinis amorem* , rediret ; & Deus in hunc finem spatium temporis idoneum , una cum subsidiis ad hoc faciendum necessariis homini indulgeret.

§. 10. Pro hac misericordia impetrandâ , necessaria erat *intercessio* Mediatoris , qui *gratia sua ac merito* apud Deum illam consequeretur. Non vacat investigare causas & rationes a priori , cur noluerit Deus homini peccatori reconciliari absque interventu Mediatoris : de factò noluisse , patet : ex eo quod , ob defectum Mediatoris , angelis lapsis , omnis ad Dei gratiam & favorem inter-

terclusus sit aditus. Ratio autem cur Christus Dei filius, hominis lapsi causam apud Patrem agendam suscepit, prætermittis Angelis, fuisse videtur; partim naturæ communis Societas (*nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, ad Heb: 2. 16. & incarnationis ejus, eorumque quæ in carne fecit ac perpeffus est, virtus ac efficacia, mox ab hominis lapsu sese exerere cæpit: *unde dicitur agnus mactatus a jactis mundi fundamentis*;) partim quia univèrsum genus humanum, in & cum stipite suo Adamo lapsum est: & miseranda fuit fors posterorum Adæ, qui in lumbis primi ipsorum parentis prædamnati, & sempiternæ miseriæ adjudicati fuerunt; priusquam ipsis extra principia eorum Seminalia existere, aut rationis & libertatis exercitio frui datum est.

§. II. Huic salutis medio, quod extra nos positum est, & a nobis minime dependet; ex parte nostra respondet, *amor & gratitudo* erga Christum, qui pro nobis *vadem & sponsorem* se stitit apud Deum; nec non *fides*, qua salutis spem nobis partam, illi acceptam referimus; & in illius merito ac
in-

intercessione requiescimus, pro peccatorum remissione, nostri apud Deum obsequii acceptatione, omniumque bonorum impetratione.

§. 12. Secundo, quia *remissio*, quam pro homine lapso impetravit Christus, est *conditionalis* tantum, & conditio, quam Deus a nobis præstari vult, ut cum eo in gratiam redeamus, (viz. ut præteritorum errorum pœnitentia ducti, ad Deum & officium nostrum revertamur, corda nostra illi restituamus, eumque toto corde diligere, & denuo incipiamus, & indefinenter pergamus) a nobis directe, immediate, & in prima instantia, præstari non potest: idque propter crassas ignorantia tenebras & pravos affectus, quibus mentes nostras replevit peccatum; idcirco *media* quædam *necessaria*, hunc in finem adhibenda, & in usum revocanda sunt; quibus tanquam gradibus ad perfectum Numinis amorem, in suprema quasi Religionis arce situm, sensim ac pedetentim ascendamus. Atque hæc Deus in verbo suo patefecit & præscripsit, & sic in Religionis familiam adoptavit.

§. 13. Qua via Homo ab amore Dei

recessit, illi plane contrariam nobis ineundam esse, ut ad Deum amandum revertamur, per se patet: cumque Homo Dei amorem perdiderit, creaturas non possidendo, aut cum eis semet oblectando (quorum utrumque ei licebat) sed cor suum illis per amorem agglutinando; inde liquet omnino necessarium esse, si divinam & coelestem hanc flammam super nostri cordis altare descendere cupiamus; ut *impuros & fœculentos mundi ac creaturarum amores* extinguamus. Amor quippe Dei & amor Creaturæ in uno eodemque subjecto, simul consistere non possunt, sed ex corde humano se mutuo pellunt: *nam si quis amaverit mundum, amor Patris non est in eo*, ut monet Apost. Johannes, 1 Joh. 2. 15. quia Deus cor hominis totum & integrum sibi offerri postulat; *mi Fili, inquit, da mihi cor tuum*, Prov. 23. 26. nec ullum in hominis amore patitur æmulum; & quam primum homo novis & alienis amoribus aditum in cor suum patefacit, Deus illud tanquam inquinatum & pollutum deserit: Sed ea est Dei in Christo, erga hominem aberrantem, benevolentia & misericordia, ut paratus sit

cor hominis denuo ingredi, inhabitare, & divina luce ac voluptate perfundere; quamprimum illud ab amore creaturæ purum & vacuum illi oblatum fuerit. Atque hoc ad medium, recuperandi Numinis amorem pertinent omnia Religionis præcepta, quæ Mundum, ejusque opes, dignitates, voluptates, aut aliud quodvis creatum; amare, ambire & concupiscere vetant.

§. 14. Deinde sicut in ordine ad recuperandum *Numinis amorem*, deponendus est amor creaturarum; ita ut homo ab amore creaturæ liberetur, necesse est, ut a *commercio & usu creaturarum*, præsertim earum, quæ carni gratæ & jucundæ sunt, quantum fieri potest, temperet & abstineat: nam præterquam quod iniquum & injustum videtur, ut oblectamenta filiis ingenuis & morigeris recreandis destinata, invadant rebelles ac læsæ majestatis rei; tanta est naturæ humanæ vitiatæ fragilitas & lubricitas, ut hujusmodi oblectamenta gustare aut possidere nequeat, quin eorum amoribus illaqueetur. Ideoque in victu, amictu, reliquoque vitæ habitu, necessariis con-

tentos esse, & quæ delectant studiose vitare oportet.

§. 15. Atque hanc officii nostri partem faciliorem reddidit *Terra maledictio*, Mundique (sublunaris saltem) foeda deturpatio, Adami lapsum, ex justa & sapienti Dei ordinatione consequuta; ratione cujus, tantum differt Mundus qualis nunc est, a seipso qualis erat ante lapsum, quantum vile ergastulum a nobili & augusto palatio. De hac Mundi corruptione loquitur Apostolus, ad Rom. 8. 20, 21, 22. ubi dicit, *totam creationem ingemiscere, creaturam vanitati subjectam esse non sponte; & a servitute corruptionis aliquando Liberatum iri.* Quod si miserum hoc Mundi cadaver homines adeo insane depereant, quid facturi fuissent, modo eum in primævo splendoris ac pulchritudinis statu cernere ac possidere contigisset.

§. 16. Præterea quoniam amor sui ipsius non minus amor Dei adversatur, quam aliarum Creaturarum amor, & super hujus ruinis trophæa sibi erigere soleat, ille etiam necessario exuendus est. Quod ut effectum demus, cum Natura nostra corrupta (cujus *omnia cogitata, consilia, desideria, sunt uni-*

ae semperque mala; Deo ipso iudice, Gen. 6. 5.) capitales inimicitiae exercendae sunt: quicquid postulat illi denegandum: quae averfatur, ingerenda: nihil ejus gratia concedendum, sed ipsius motibus semper resistendum; ut sub jugum missa, Spiritus S. hominem renovantis, operationes in corde interturbare desinat. Et quoniam haec omnia dura, aspera, & naturae nostrae admodum ingrata sunt, nunquam ad ea in usum revocanda permovēbimur, nisi prius mens, tristi peccati, ac miseriae propriae sensu affecta, sub ejus pondere oppressa gemat, & ad liberationem aspiret. Cum hisce mediis, creaturarum amor in hominum cordibus extinguendo accommodatis; coincidunt, *pœnitentia, sui ipsius abnegatio, Mundi renunciatio, carnis crucifixio, crucis gestatio, & veteris hominis exoliatio*; quae Christus & Apostoli in Scripturis tam frequenter inculcant, & studiose nobis commendant.

§. 17. Porro, sicut verum Dei amorem, qui totius Religionis apex est, sola gratiosa & immediata Numinis praesentia mentem luce & gaudio perfundens gignere potest; ita reliqua salutis me-

dia hæctenus enumerata, principium nostra natura altius & nobilius postulant: cum enim Natura humana peccato vitiata sit cæca, & se suaque comoda in omnibus, semper & ubique quaerens, & Religionis præcepta, de quibus agitur, illi maxime ingrata & exosa sint; manifestum est eorum executionem ab ea sperari non posse, nisi accedat *adjutorium gratiæ divinæ*; tam *internæ*, quæ inmediate in mentem agit docendo, pelliciendo, suadendo, excitando; quam *externæ*, quæ mediantibus sensibus externis vim suam exerit: adeo ut non sine causa dixerit Apostolus, *Deum esse, qui operatur in nobis & velle & agere*, ad Phil. 2. & 3. Hujus mediæ, quod solum Deum penes est, impetratio, a nobis exigit *assiduas preces*, & *promptum obsequium*, S. Spiritus inspirationibus exhibitum; *petite*, inquit Christus Dominus, *& accipietis*, Matt. 7. 7. *& nolite contristare Spiritum S.* dicit Apostolus, ad Ephes. 4. 30.

§. 18. Sed quoniam internæ Spiritus S. manifestationes, mentem postulant tranquillam & quietam; & placida, lenis, ac summissa Spiritus S. vox in imo cordis docens ac monens; vix

ac ne vix quidem ab hominibus irregnitis percipi potest: ob perstreptentium passionum, ac cupiditatum, tumultum; modus docendi crassus & corporeus, qui per sensus externos ad mentem penetrat, in subsidium vocandus fuit. Quocirca Deus *Prophetas* (quibus se prius manifestaverat, partim visionibus; quandoque in somno, quandoque extra eum, phantasiæ ipsorum objectis; partim voce & signis externis) misit, ut alios Mortales, de rebus ad ipsorum salutem spectantibus, suo nomine commonefacerent. Quumque genus humanum, ab Adami lapsu & deinceps, semper in deterius rueret; inque alia, atque alia peccata prorumpens, & nova flagitia veteribus accumulans, magis magisque a Deo recederet; necesse habuit Deus, *novis* subinde *monitis*, homines periculi sui certiores facere, & mandata sua multiplicare, pro diversitate peccatorum, quibus Mortales inscii & imprudentes a via salutis aberrabant: donec hominum impietate in immensum aucta, & prophetarum revelationibus ad obicem illi ponendum minime sufficientibus, *Unigenitus Dei filius*, pro

ineffabili sua erga genus humanum charitate, naturam nostram mortalem, cum omnibus ejus infirmitatibus (demto peccato) induens, inter Mortales agere dignatus est; ut de omnibus ipsorum salutem concernentibus, eos plene edoceret, & in corpore fragili ac mortali, nostro simili, ejusmodi vitam institueret, qualem omnes, qui salvari volunt ducere oportet: ut sensibili experimento nos convinceret, vitam Christianam nostræ fragilitati, gratiæ divinæ auxiliis suffultæ impossibilem non esse: & vitam denique pro expiandis hominum peccatis profunderet.

§. 19. Atque integra Religionis Doctrina Christi Sermones & res gestas, nec non Prophetarum & Apostolorum revelationes complectens; in *Scripturas*, tanquam publicas tabulas relata est; ut iis mediantibus ad hominum notitiam longe lateque dimanaret. Scripturæ itaque necessariæ sunt, ut Religionis præcepta, & salutis media hæctenus recensita hominibus innotescant.

§. 20. Nondum adhuc finis est *Mediorum*, quæ a Deo adhibita sunt, ut ho-

hominum reditus ad *Numinis amorem* ;
& salutis via facilior & expeditior eva-
deret. Etiamfi omnia, quæ homines
scire vel facere ad salutem consequen-
dam oportet, adeo plene & perspicue
in Scripturis proponantur, ut ab om-
nibus discendi cupidis, debita diligen-
tia adhibita, illic inveniri queant ;
multi tamen sunt, qui Scripturarum
lectioni operam non dant ; multi ob
animum præjudiciis occæcatum, ad ea
quæ legunt rite percipienda tardi ; alii
ad ea quæ intelligunt exequenda tor-
pidi sunt ; quique salutis viam semel
ingressi sunt, ab ea sæpe imprudentes
deflectunt, aut ingruentium tentatio-
num impetu abripiuntur, & in pecca-
tum semel prolapsi, eidem secure in-
dormiunt. Ut hisce malis sua non de-
essent remedia, instituti sunt *pastores*,
quorum officium est docere, admone-
re, corripere, consolari ; institutæ
Christianorum Societates Religiosæ si-
ve *Ecclesie*, quarum finis est, ut in
communi salutis negotio promovendo,
Christiani mutuam sibi commodent o-
peram, alii alios imperitos docendo, er-
rantes in viam veritatis revocando, de-
jectos erigendo, tepidos accendendo,

delinquentes corripiendo, & contumaces devitando; institutæ sunt *sacræ synaxes*, *cultus religiosus publicus*, & *Sacramenta*, quæ licet hominibus, in fide & sanctimonia promovendis maxime conducant; pastores tamen & Christianorum cœtus manifeste supponunt, & a nobis considerari possunt, tanquam sanctiones legum, pastores & Ecclesias instituentium: quibus morem gerere oportet, aut cultus publici beneficio, & Sacramentorum solatio privari. Denique ut uniuscujusque Ecclesiæ negotia communi consilio administranda rite procurentur; hoc est, ut omnia decenter & ordinate fiant; & inter plures Ecclesias communio colatur, pax & concordia facta tecta conservetur; institutum est *Regimen Ecclesiasticum*.

§. 21. Atque sic *integram Religionis Christianæ catenam* annulatim evolvi, a supremo ejus apice, id est, *Dei amore*, qui solus propter se præcipitur & expetitur, incipiendo; inde vero ad *media proxima*, ab his ad *remotiora*, gradum promovendo; donec ad omnium *remotissima* perventum est. Quæ dicta sunt *clavem* suppeditant, cujus ope quilibet in Theologiæ studio medio-
cri-

criter versatus, facile dijudicare possit, quem locum quælibet Religionis pars, in ejus *Systemate* obtineat; quomodo alias superiores ut fines, inferiores ut media respiciat; & in quo necessitatis gradu censeretur debeat. Sed in Tyro-num gratiam, unum aut alterum ex iis, quæ in hoc schemate attentius considerari debent, in medium adducam.

§. 22. Primum est, insigne discrimen inter *charitatem*, seu Numinis amorem, & residuas partes Religionis; inter quas illa familiam ducit; quia sola propter se expetitur, & alia omnia ad Religionem spectantia, illius gratia instituta sunt: ut scilicet eorum ope & ministerio, homines a casto Dei amore, in peregrinos & adulterinos Creaturarum amores prolapsi; ad debitum Numinis amorem reducantur. Adeoque *charitas*, cæteræque Religionis partes se mutuo respiciunt, tanquam *finis* & *media* ad ipsum ordinata: ut aperte docet Apostolus, *finis* inquit, *præcepti est charitas*, ad Eph. 4. 11. Quemadmodum vero, contignationes & machinæ lignæ, quibus in extruendis ædificiis utuntur Architecti, opere absoluto, removentur, nec ullus est

am-

amplius earum usus : Sic ubi consummatus fuerit Dei amor in salvandorum cordibus; Sacramenta, pastores, Ecclesiæ, Scripturæ Sacræ, Mundi abnegatio, carnis mortificatio, pœnitentia, fides, & quæcunque alia Religionis membra a charitate distincta cessabunt: prout nos docet idem Apostolus, 1 Cor. 13. 8. *Charitas, inquit, nunquam excidit: Sed sive fuerint Prophe-tiæ, illa evacuabuntur; sive linguæ, illa cessabunt; sive fuerit scientia, illa evanes-cet: nam quando venerit quod perfectum est, quod imperfectum est abolebitur. ---- nunc manent fides, spes, & Charitas; sed harum maxima est Charitas.*

§. 23. Alterum, quod in hoc *Sche-mate* sedulo observandum venit, est discrimen earum Religionis partium inter se, quæ a *Charitate* distinguuntur; prout eam tanquam *finem* respiciunt. Eæ vero in triplici differentia constitutæ sunt, quædam nimirum sunt *media* recuperandi amorem Dei *necessaria*, simul ac certa, & infallibilia: aliæ sunt *media* recuperandi *Charitatem necessaria* quidem, sed *non certa & infallibilia*: aliæ denique *Charitatem* respiciunt tanquam *Media neque certa & infallibi-lia,*

lia, neque absolute & indispensabiliter necessaria. In primo ordine sunt, *fides* in Christum mediatorem, *pœnitentia*, *natura corrupta* seu veteris hominis *mortificatio*; *Mundi*, cum omnibus ejus pompis & vanitatibus *abrenunciatio*, & *cordis* demum ab impuris Mundi, omniumque creaturarum amoribus *ablatio*; quibus eliminatis, succedit *amor Dei* in corde accensus & diffusus a Spiritu S. Hæc omnia ad amorem Dei recuperandum indispensabiliter necessaria sunt, cumque eo certam & infalibilem habent connexionem, proximam vel remotam. In secundo ordine consistunt *Sacra Scriptura*, quæ propter rationes superius assignatas simpliciter necessaria sunt; ut Mortales perveniant ad illarum rerum notitiam, quas scire vel præstare, ipsorum ad salutem interest. Quod tamen ita accipiendum non est, quasi doctrina Religionis in Scripturis, tradita semel penitus imbuti, absque codicibus sacris in posterum Christiane vivere non possint: „ Nam
„ ut monet Augustinus De Doctrina
„ Christiana, lib. i. c. 39. Homo fi-
„ de, spe, & charitate subnixus, ea-
„ que inconcusse retinens, non indi-
„ get

“ get Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria in
 “ solitudine sine codicibus vivunt,
 “ unde in illis arbitror jam completum
 “ esse quod dictum est; five prophæ-
 “ tiæ, evacuabuntur; five linguæ,
 “ cessabunt; five scientia, destruetur,
 “ &c. Attamen media salutis certa &
 “ infallibilia non sunt: quum eorum in-
 numeri, qui Scripturas apud se habent,
 & quotidie terunt, salute excidant; sua
 quidem, non Scripturarum culpa: quo-
 niam vitam & mores, ad earum præ-
 scriptum instituere minime curant.

§. 24. In tertio ordine mediorum
 salutis, quæ neque absolute necessaria,
 neque certa & infallibilia sunt; nu-
 merantur *pastores*, *societates Religiosæ*
seu Ecclesiæ, *Sacramenta*, *cultus religio-*
sus publicus, *disciplina seu politia Eccle-*
siastica; & siquæ alia a Deo instituta
 sunt, ut homines ad pietatis officia in
 Sacris literis plene & perspicue propo-
 sita, vel addiscenda, vel recolenda,
 vel præstanda excitentur. Hæc cum
 æterna hominum salute, nullam cer-
 tam & infallibilem connexionem habe-
 re; notius est, quam ut ulla probatio-
 ne, aut illustratione indigeat. Et quam-

vis a Christianis minime negligenda sunt, sed in usum revocanda, ubi haberi possunt; tum quia a Deo præscripta sunt, cum quia secundum ejus intentionem usurpata magnas habent utilitates; ad salutem tamen absolute & indispensabiliter necessaria non sunt: nam certum est, eos qui Scripturis potiuntur, modo eas diligenter legant ac sedulo scrutentur, & viam salutis ibi descriptam invenire, & inventam ingredi; & in ea constanter progrediendo (favente gratiæ divinæ aura,) Salutem consequi posse, etiam si in ejusmodi mundi plaga degant, ubi neque pastorum, quos audiant; neque Ecclesiarum, quibus se adjungant; & per consequens, neque Sacramentorum, quorum participes fiant, ulla fit copia. Cujus rei insigne documentum nobis præbent *sanctis Anachoretis* plurimi, & nominatim *Paulus* ipsorum *antesignanus*, qui a prima adolescentia usque ad extremam senectutem, in remota solitudine vitam solitariam degens, absque omni hominum (præterquam *unius Antonii*, ejusque brevi admodum temporis spatio, & paulo-ante obitum) consortio; magnam Sanctitatis famam

mam in Ecclesia Christiana merito consequutus est.

SECTIO TERTIA.

In qua varia propositiones & Corollaria utilissima a Theologiæ Comparativæ explicatione deducuntur. Modus discernendi inter principia Religionis fundamentalia & non-fundamentalia: item inter errores periculosos & innoxios.

§. 25. Absolutis Doctrinæ Theologicæ Comparativæ idea generali, ejusque explicatione magis distincta & particulari, accedo ad propositiones, regulas, & conclusiones neque numero paucas, neque pondere leves, quæ ex hac doctrina deduci possunt. Et revera adeo multiplex est *Theologia Comparativa*, cujus specimen vobis exhibui, *usus*, tum in vita privata, cum pro Ecclesia recte constituenda; tot præceptis, regulis, ac documentis in omni vitæ genere utilibus turget, ut non facile aut in promptu sit, omnes enumerare, quæ inde seria ac attenta meditatione hauriri possunt: Ego pauca tantum, specimenis gratia in medium adducam.

§. 26. Primo igitur, ex hac doctrina

na Theologiæ Comparativæ liquido apparet; *Religionis Christianæ præcepta*, neque ex puro puto Dei beneplacito, neque ex ira & indignatione, sed ex gratia, amore, & benevolentia erga hominem lapsum profluxisse; quod duras pœnitentiæ, seipsum abnegandi, mundoque renuntiandi leges, omnibus salvandis necessario observandas imposuerit Deus; non ideo factum est, ut suum Dominium in hominem exerceret, aut in eum vindicaret; sed quia non alia fuit via tuta ac segura, homines ad stabilem & duraturam fœlicitatem evehendi, præter eam, quam mandata Religionis præscribunt. Potuit equidem Deus omnipotentia suæ virtute, hominem in peccatum ac miseriam prolapsum, pristinae sanctitati ac fœlicitati (absque ullius pœnitentiæ medicinalis interventu) restituere: Sed recens experientia, & insigne instabilitatis ac inconstantia specimen, quod ediderat Adamus, manifeste ostendunt; nihil aliud hac via, sperandum fuisse, nisi ut Adamus, (tanto periculo tam leviter defunctus) ad peccandum de novo audacior evaderet; vel si ipse experientia edoctus, cautior

& circumfpectior fieret ; pofteri ejus faltem , in peccatum & miferiam relaberentur. Adeo ut [fi hæc methodus reparandi genus humanum inita fuiffet, verifimile eft, per eam, folum Adamum falvandum fuiffe. Proinde fuit Divinæ tum fapientiæ, cum bonitati magis confentaneum, per *folam pœnitentiæ viam*, ut difficiliorem, ita certio-rem & tutio-rem, homini lapfo reditum & regressum, ad priftinum fælicitatis ftatum concedere. Sicut enim illi in quos opulenta fortuna, five ex gratuita principis liberalitate, five per fucceffionem descendit, ad rem familiarem dilapidandam longe procliviores funt ; quam alii, qui paupertatis anguftias experti, proprio labore ac induftria opes acquirunt ; ita dubitandum non eft Homines qui ex profunda peccati ac miferiæ abyffo eluctati ; per duram, difficilem, afperam, & anguftam pœnitentiæ viam, ad fælicitatem perveniunt ; longe constantiores fore in Creatoris dilectione, & ad tentationum impetus fufiinendos, & repellendos firmiores, quam erat *Adamus*, qui in ftatu fælicitatis a Deo creatus eft ; vel futuri fuiffent ejus pofteri, modo hæc Fæli-

citas per successionem ab *Adamo* ad ipsos transmissa fuisset.

§. 27. Si quis quærat, an non potuit Deus hominem lapsum e vestigio reintegrasse, & restauratum in Gratia & Sanctitate confirmasse, ac extra omne lapsus periculum stitisse, ita ut non magis peccato obnoxius fuisset quam Angeli gloriosi? Respondeo, *confirmatum gratia & Sanctitatis statum*, prægressæ, ac probatæ in Dei amore constantiæ, ac firmitatis, esse fructum simul ac præmium; non alia lege Angelis in officio ac fidelitate persistentibus, concessum esse, aut *Adamo* concedendum fuisse, nisi post idoneum probationis in Dei amore fideliter exactum tempus; neque fieri potuisse ut Creatura rationalis consummatum hunc perfectionis statum aliter consequeretur, salva ejus Libertate, quam intactam & intemeratam esse voluit Deus.

Ea quippe libertatis est indoles, ut absque nocumento non patiatur, facultates quibus præest, voluntatem præfertim, alicunde, quin ab ipsa determinari, ut huic objecto congruo & præfenti potius quam alteri, hoc potius

quam illo modo applicentur. Eadem nihilominus sibi ipsi laqueos ac vincula neçtere potest, quibus tam in bono quam in malo firmari, radicari ac teneri non recuset; cujusmodi sunt habitus multâ ac diuturnâ actuum amoris, desiderii, complacentiæ, fruitio- nis delitiosæ & similibus circa objecta eadem repetitione acquisitâ; quibus homo ad ea ipsa objecta amanda, desi- deranda, & ubi adsunt delitiose fruenda, se tanquam stimulis urgeri; nec non ubi affectus ab iis remove- re tentat quasi ponderibus retrahi ac impediri sentit; adeo ut absque difficultate & vi sibi ipsi illatâ non possit actus ad quos ejusmodi habitus disponunt, om- mittere aut contrarios exercere; unde natum vulgare effatum: Consuetudo est altera natura.

Hæc res in habitibus vitiosis utpote vulgaribus & obviis abunde explorata est: nam quis ignorat ebriosum, gulo- sum aut luxuriosum, verbi gratiâ, pravis quibus tenetur habitibus ita mancipari, ut à gulæ aut carnis cupiditatibus (ubi adest opportunitas) fatiandis & explendis temperare aut ad frugem re- vocari, & sobriam ac continentem vi-
ven-

vendi rationem vix ac ne vix traduci quidem possit ; quod emphatice expressit Propheta , ubi dixit Jer. 13: 23. si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas , & vos poteritis bene facere , cùm didiceritis malum.

Nec minor est habituum bonorum, ex frequenti & diuturno actuum bonorum, vi ac virtute Spiritus Sancti, elicitorum, exercitio, provenientium vis & efficacia ; quibus vetus homo mortificatur , novus homo resuscitatur ac paulatim adolescit, donec tandem evadat in virum perfectum ; quò ubi perventum est , fit homo pronus , promptus & alacer ad bonum ; ad malum vero tardus , difficilis ac renitens , teste S. Johanne Apostolo 1. Joh. 3: 9. quicumque ex Deo natus est non facit peccatum, nam semen ejus manet in eo, nec peccare potest quia ex Deo natus est ; cui suffragatur verè regenitorum, rem ita se cum ipsis habere profitentium experientia.

Hisce habitibus bonis & malis postquam accessit debitum & congruum Numinis superpondium, Spiritûs sui gratiam, sæpe sæpius repudiatam, non

amplius in peccato obfirmatis ludibrio habendam, proponere statuentis, & bonum libertatis usum in piis & probis, uberiori gratiæ mensura cumulantis, vel eorum oblatum sibi liberi arbitrii moderamen in se recipientis; cum sequitur finalis, immutabilis, ac interminabilis impiorum obduratio in malo, & piorum confirmatio in bono. Unde liquet creaturas rationales liberas, nisi post prævium libertatis exercitium, in bono vel malo, idemque (in bono saltem) habituale, sive in gratia confirmari, sive in malo obdurari, eadem libertate illæsa, non posse.

§. 28. Ex hac doctrina patescit, fundamentum doctrinæ, quam tradit Apostolus, 1. Cor. 13. ubi eas Religionis partes, quæ magno in pretio haberi solent, (quales sunt, multa rerum divinarum cognitio, sive Orthodoxia, fides, & persecutionum pro vera Religione tolerantia usque ad mortem) si desit *Charitas*, ad salutem inutiles fore pronunciat. Ratio, inquam, hujus doctrinæ clara & perspicua est, quia hæc & omnia alia ad Religionem spectantia, in hunc solum finem a Deo præscripta & instituta sunt, ut homines ad

Cha-

Charitatem perducantur; idcirco si hunc finem non assequantur, cassa & frustra-nea evadunt. Male igitur suas subducunt rationes, qui bonam, de seipsis suaque conditione spem concipiunt & opinionem fovent; propterea quod ad hunc vel illum Christianorum cœtum pertinent; quod in audiendo, legendo, precando, communicando, diligentes & assidui sunt: hæc enim minus firma sunt, quam ut tanti ponderis molem, ac est hominis salus, sustinere queant. Nisi enim homines naturæ corruptæ bellum indixerint, Mundo abrenuntiaverint, seque ipsos abnegaverint, *verum ac sincerum Numinis amorem* nunquam recuperabunt; & absque sincero Dei amore, ad beatificantem ipsius præsentiam, & Beatorum sedes nunquam pervenient.

§. 29. Tertio, hæc Theologia Comparativa distinguere docet, inter *principia Religionis essentialia seu fundamentalia*, & *non fundamentalia*: ubi *essentiam Religionis* accipio non stricte pro eo, quod Religioni semper & in omni statu convenit, (in quo sensu solus *Numinis amor* integram religionis essentiam constituit) sed latius, pro omnibus, quæ

necessaria sunt hominibus in statu naturæ corruptæ spectatis, ut æternæ fælicitatis participes fiant. Jam vero quum partium Religionis, aliæ sint Media salutis, & necessaria, & certa seu infallibilia; aliæ media necessaria, sed non certa; aliæ salutis quidem media sunt, at neque certa, neque necessaria; manifestum est, præcepta & instituta tertiæ classis ad fundamentalium Religionis tribum minime pertinere. Porro, quia fundamentale principium Religionis proprie sic dictum, illud est, cujus cognitio ad salutem necessaria est directe & per se, & omnia ac sola, primæ classis mandata & instituta sunt talia; inde sequitur totam *Fundamentalium* Religionis familiam intra primæ classis terminos consistere. Sed quoniam fundamentalia Religionis principia non aliter quam per Scripturas hominibus certo innotescere possunt, idcirco ut *Scripturas* cognoscamus, & pro certa ac infallibili fidei norma agnoscamus, *principium* Religionis *fundamentale Secundarium* dici meretur.

§. 30. Quarto, docet etiam Theologia Comparativa distinguere inter errores *damnabiles* seu perniciosos, *pericu-*

losos, & innoxios. Illi omnes & soli errores circa fidem & Religionem *damnabiles* & perniciosi censendi, ac ut tales Ecclesiæ pomæriis summa cura & studio eliminandi sunt; qui *Fundamentale* aliquod Religionis principium necessario subvertunt: idque in sententia & opinione errantis: sive qui cum fundamentalium principiorum fide in eadem mente simul consistere non possunt. Religio quippe Christiana instar pontis est, per quem solum datur transitus ab hac miseriarum valle, ad regiones lucis ac pacis; fundamentalia vero Religionis principia sunt quasi totidem fornices, ex quibus simul junctis & unitis hic pons coalescit: ideoque illi errores, qui fundamentale aliquod Religionis principium evertunt, unum quasi ponti arcum excindunt, & sic in eo hiatus faciunt, quo per pontem ad cælos transitus interrumpitur & impeditur.

§. 31. Rursus illi errores tanquam *periculosi* devitandi, qui homines in negotio salutis tepidos & negligentes reddere comparati sunt: qualis est error eorum qui impios negant resurrecturos, afferuntque ipsorum animas ad nihilum esse redigendas; quo gehennæ metu subla-

to, ejusdem vim & efficaciam ad Homines a peccato deterrendos, non parum imminui & infirmari patet. Illi demum errores ut *innoxii* tolerandi, qui Christianum, in stadio pietatis currentem, neque sistunt, neque retardant: qualis fuit error *Cypriani* de rebaptisandis Hæreticis: & alius *Irenæi*, quo Christum, quando cruci affixus est, quinquaginta annos natum fuisse tradit.

§. 32. Hinc quinto, depromi possunt *Regulæ & Principia*, quibus dirigantur, tum Christiani particulares circa *Communionem externam* cum diversis, imo adversis, Christianorum cœtibus & societatibus, (in quos Ecclesiæ Christianæ unitas misere distracta & divulsa est) colendam vel repudiandam; tum qui summæ rerum in Ecclesiis præfunt circa leges Ecclesiasticas ferendas vel abrogandas. Quum enim cœtuum & societatum Christianarum, quas Ecclesias appellamus, scopus & finis sit, ut earum beneficio singuli Christiani in pietatis cursu promoveantur, & opere salutis exequendo adjuventur; planum est hominem Christianum, cui propria salus curæ ac cordi est, *primo* iis Ecclesiis (modo id ferant ejus circumstantiæ) semet adjungere & aggre-

aggregare debere, in quibus meliora veræ pietatis subsidia inveniuntur. *Deinde* ab illarum confortio illi temperandum esse, quarum societas, ipsius in pietate profectum impedire & remorari apta nata est: vel quia ibi doctrinæ Christianæ puritas, pravæ & naturæ corruptæ blandientibus dogmatis polluitur; vel quia sanæ ac salutaris doctrinæ vis & efficacia, perniciosæ vitæ mundanæ exemplis enervatur; vel denique quia jus communionis ab aliqua re illicita, tanquam conditione necessaria suspenditur. *Tertio*, Ecclesiæ, cujus membrum est, cuiusque commercium, etsi pietati parum profit, non tamen obest; communionem tolerandam esse: si ab ea sine gravi incommodo secedere non liceat.

§. 33. Ob eandem quoque rationem, qui *Ecclesiarum Gubernaculis* admoti sunt, sua eos autoritate vel potestate, ad ædificationem, non ad destructionem uti decet; nihil præcipientes, quod ad Christianorum profectum in vera pietate non conducat; nihil exigentes, tanquam necessariam Communionis externæ conditionem, quod ullus sanus aut sobrius, serio ac sincero pietatis studio accensus, salva conscientia facere non possit: ne ab
exter-

externa visibilis alicujus Ecclesiæ communionem arceant, quos Christus interna ac spiritali, sui pariter ac Sanctorum, id est, invisibilis Ecclesiæ dignatus est: Neminem denique invitum, & renitente conscientia ad externam alicujus Ecclesiæ communionem cogentes.

In hoc Corollario quasi speculo contemplari licet miserandum hodierni Christianismi statum, ubi quælibet fere Christianorum secta, vel saltem qui summæ rerum in ipsa præfunt, peculiarium ac discriminantium ipsius dogmatum, partim obscurorum, partim dubiorum, partim falsorum, professionem ac fidem, tanquam necessariam communionis conditionem postulant; pro unitate, mutua charitate & concordia, quam discipulis suis tam serio commendavit Christus, schismatum, discordiarum & inimicitiarum semina spargentes: neque hîc sistunt; sed omnes, quantum in ipsis est, mulctis, proscriptionibus, suppliciis cogunt, ad ipsorum communionem amplectendam, ejusque conditiones præstandas; sic pro veris Christianis, hypocritas, peccatorum genus Deo maxime exosum, facientes.

§. 34. Ex hoc denique Theologiæ
Com-

Comparativæ Schemate liquido apparet, Regimen Ecclesiasticum esse medium recuperandi Numinis amorem, neque necessarium, neque certum & infallibile; & per consequens, non esse Religionis Christianæ principium fundamentale, aut membrum essentiale: & ipsius in corpore, non cordis aut visceris alicujus nobilioris, sed extremarum partium locum obtinere. Quod utinam sedula mente perpendant omnes Christiani, iique præsertim, inter quos, de particularibus disciplinæ ac Regiminis Ecclesiastici formis, acerrimæ vigent contentiones, seditiones & turbæ excitantur, odia & inimicitia exercentur, magno cum Christiani nominis opprobrio, infirmorum scandalo, gravique veræ pietatis inclinatione, dicam? an ruina. Quanto fatius esset, nec non Christiani nominis honori, pietati ac paci, consultius ac conducibilius; homines Christianos, mutua hic uti tolerantia; liberam unicuique in hisce & similibus, a Religionis centro longius remotis (de quibus sinceri pietatis ac veritatis cultores diversas opiniones fovere possunt) pro arbitrio sentiendi, loquendi, & agendi facultatem permittendo: absque
ullo

ullo mutui amoris & officiorum charitatis, five inter Christianos singulos, five Christianorum societates & Ecclesias, damno aut detrimento.

C O N C L U S I O.

In qua Theologiæ Comparativæ utilitates magis particulariter indicantur. Rursus de incommodis ex Theologiæ Comparativæ ignorantia ortis. Theologiæ Comparativæ cultor describitur. Peroratio.

§. 35. Ex omnibus præmissis clare elucet, insignis, quam in initio subindicavimus, Theologiæ Comparativæ necessitas & utilitas; nam qui varios ac diversos partium Religionis Christianæ respectus ac relationes inter se (quas Theologia Comparativa docet) ignorant, non possunt in itinere cœlesti ac via salutis non multimodis errare ac labi.

Vel enim (I.) omnia Religionis præcepta & instituta eodem loco ac numero habentes, eisdem promiscue & indiscriminatim absque ordine aut delectu operam dabunt; nunc hoc nunc illud Religionis præceptum, prout fors aut animus tulerint, excolendum arripientes:
haud

haud aliter quam si agriculturam exercens, in arando, serendo, sarriendo, sterco-
rando, diligentem & assiduum se præbe-
ret, nullo interim temporis aut ordinis
habito respectu: nam ut hic sperati labo-
ris præmium, id est, lætam messem haud
facile consequeretur; sic illi vitæ reli-
giosæ fructum, tam proximum, quæ est
regeneratio; quam remotum, id est,
vitam æternam, amittunt. Atque non
paucos ejusmodi Christianismi cultores
inveniri nullus dubito, qui in præceptis
ac institutis Christianæ Religionis id so-
lum spectantes, quod omnibus commu-
ne est, divinæ scilicet authoritatis cha-
racterem; ad proprios vero singulorum
scopos & respectus minime advertentes;
etsi multum circa Religionem occupen-
tur, parum tamen proficiunt; ab Apo-
stolo notati sub figura muliercularum
semper discentium, & nunquam ad veri-
tatis scientiam (practicam & salutarem)
pervenientium. 2 Tim. 3: 7. Vel,

(2.) minora ac leviora Religionis in-
stituta majoribus & gravioribus antepo-
nunt, quod Scribis & Pharisæis expo-
bravit Christus, menthæ, cymini &
anethi decumas persolventibus, & gra-
viora legis, judicium, misericordiam ac
veri-

veritatem omittentibus. Hac in culpā deprehenduntur plerique Christianorum, qui rectam fidem & persuasionem de rebus non necessariis, (qualia sunt omnia fere dogmata, cuique Christianorum sectæ propria ac peculiaria, nec non ritus quidam sacri ad cultum externum, & particulares regiminis formæ ad ecclesiæ politicam spectantes, de quibus citra periculum salutis, sic vel aliter opinari licet) pluris faciunt quam vitæ sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum, Hebr. 12: 14. De hac minus solliciti quam de illa, tam in se ipsis quam in aliis. Nam ut in propria ipsorum praxi, orthodoxiæ, cultusque religiosi externi puritati, quam humilitati, charitati, mortificationi carnis, aut sui ipsorum abnegationi, magis student; ita alios secum in fide cultuque externo consentientes, quamvis vita ipsorum mundana & terrestris sit, apertis ulnis in communionem recipiunt; dissentientes vero, etiamsi pie & Christiane viventes, tanquam extraneos excludunt & averfantur. Sic propriæ sectæ, quam Christo magis discipulos acquirere satagentes; qui si cum profelytis Phariseorum pejores non fiunt, ab aliis tamen ad aliorum castra transeundo, nihil

ut plurimum lucrantur, præter opinio-
num, rituum, & circumstantiarum
cultus externi, mutationem; prava
quædam principia practica, nempe
mundanam & animale[m] vivendi ratio-
nem, quæ in omnibus Christianorum
societatibus dominatur, semper reti-
nentes.

Eundem in scopulum impingunt,
qui capitalibus Religionis Christianæ
virtutibus neglectis, in mediis, eisdem
subinservientibus, hærent: cujusmodi
inter alia sunt, verbi divini lectio,
meditatio, conciones, sacramenta, &
id genus alia, hominibus instituendis,
& ad essentialia Religionis officia exci-
tandis, & adjuvandis, accommodata;
in quibus multos, multum occupatos,
videre licet, qui Christiani hominis
officio se non male functos existimant,
quamvis ad mundi contemptum, car-
nis mortificationem, Dei & proximi
amorem, quorum gratia illa altera in-
stituta sunt, nequaquam adspirent;
haud multo prudentiores illo, qui ad
regionem, vel civitatem procul distan-
tam, iter meditans, in equis, curri-
bus, famulis, commeatu, reliquoque
profektionis apparatu comparando &

contemplando totus esset, pedem vero domo nunquam efferret. Vel,

(3.) Tertio denique mediis ac ministris Religionis partibus spretis ac omis-
sis, ad altiores & meliores per saltum
adspirabunt; haud meliori successu,
quam si quis ad turris excelsæ culmen,
absque scalis & gradibus eo ducenti-
bus, inani brachiorum jactatione, cor-
porisque nisu, pervenire contendat.
Atque hoc est vitium inter Christianos
nimis frequens, quibus solenne est,
internas contritionis, abnegationis
sui, contemptus mundi, charitatis &c.
virtutes, absque bonis operibus exter-
nis ad eas disponentibus ac manu du-
centibus, & in mediis oppositorum vi-
tiorum illecebris, (cujusmodi sunt ho-
nores, opes, voluptates, hominum-
que eas confectantium familiaritas) ver-
santes, sola cogitatione, mentisque cona-
tu, consequi velle; non minus impru-
denter, quam si quis obscuro in carce-
re conditus, aut in nive volutans, sola
cogitatione, vel imaginatione, illu-
minari aut calefieri speraret, etiam si in
apricum solem nequaquam prodiret; ut
taceam alios, qui internas Spiritus San-
cti manifestationes, communionem cum
Deo,

Deo , gaudia spiritualia , & similia mundi cordis præmia & solatia , veteri cupiditatum fermento nondum expurgato , crepant , umbram pro corpore , & nubem pro Junone amplexi.

Contra vero , Theologiæ Comparativæ doctrina imbutus , eaque duce utens , Dei amorem seu charitatem in excelso Religionis folio sedentem , tanquam Dominam & Reginam veneratur , in eam oculos defixos habet , ad eam tendit & adspirat , reliquas virtutes Christianas ut famulas & pedissequas , suo quamque ordine , prout illam propiori aut remotiori gradu attingunt , debito honore & observantia prosequitur , Scripturas legit , meditatur , concionatur , vel conciones audit , communicat , aliisque mediis ac ministris Religionis officii operam dat ; non ut in iis sistat , aut quiescat ; sed ut eorum ope , ad sui ipsius mundique contemptum , Dei , & proximi in Deo , amorem & dilectionem accendatur ; & , quemadmodum , etiamsi potus ac cibus vitæ ac sanitatis media sint necessaria , non semper tamen aut nimis edendum aut bibendum , sed idoneum temporis spatium ingestorum digestionis assignandum

dum est ; ita in Scripturis legendis, concionibus audiendis, &c. modum tenet, excessum ut noxium devitet.

Nullum pietatis subsidium, quantumvis vile aut contemptum appareat, aut ipse spernit, aut in aliis damnat, nec ullis tamen mediis salutis non necessariis ita addictus est, ut eadem, si forte (ut fit) longo usu, vel potius abusu, aliave de causa, noxia vel inefficacia reddi contingat, omittere nolit. Nullum ritum sacrum, aut morem ecclesiasticum innoxium, quique ex se & sua natura indifferens, bonum in finem usurpare potest, ita vel amat vel odit, quin eos pro ut ecclesiæ pax, & proximi ædificatio postulaverint, observare vel omittere paratus sit. / Apostolum imitans, qui Judæis factus est tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaceret; sub lege constitutus tanquam & ipse sub lege, ut lucrifaceret eos qui sub lege fuerant; iis qui sine lege erant, tanquam & ipse sine lege, ut lucrifaceret eos qui sine lege fuerant; infirmis quasi infirmus, ut infirmos lucrifaceret; omnibus denique omnia factus, ut omnes faceret salvos.

Veritates, ad salutem cognitu neces-

cessarias, paucas esse agnoscit, quas inconcusso mentis assensu complectitur, & in animo recondit; de aliis nunquam sollicitus est, nec cum ullo contendere sustinet; ejusmodi disputationibus, ut paucas vel nullas controversias unquam terminatas esse, ita hominum mentes a studio pietatis distrahi, odia, inimicitias, schismata, persecutiones, gigni ac foveri; nec non profectum in salutari veritatis cognitione, sedulo ac sincero pietatis studio, quam disputationibus longe melius acquiri, compertum habens. Cum omnibus Deum vere timentibus & serio quærentibus, quamvis de capitibus Religionis minus necessariis, ab ipso & inter se dissentientibus, internam ac spiritualem amoris & dilectionis communionem colit; externam quoque quantum per communionis conditiones apud eos obtinentes licet, colere paratus; impiorum vero & mundanorum, utut in ejusdem doctrinæ cultusque externi professione consentientium, familiare consortium, tanquam noxium & pestiferum, studiose vitat.

§. 36. Hæc longiori & accuratiori tractatione digna, levi brachio per-

transire, & alia haud levis momenti *Corollaria* plane omittere cogit temporis angustia. Vereor etiam, *Auditores*, ne vobis haftenus tædio fuerit hæc nostra *Dissertatio*; quam multiplex rerum, intra angustos ejus terminos cogendarum varietas, utilem magis quam jucundam fecit. Ideoque hic pedem figam; quæ dicta vobis sunt, commilitones charissimi, multa ac seria meditatione ulterius excolenda, digerenda & amplificanda, Luminumque Patri benedictione cœlesti ubertim irriganda, animitus commendans: cui summe bono, summe sapienti, summeque potenti Domino Deoque Patri, Filio ac Spiritui Sancto, sit laus, honor & gloria in seculum. Amen.

F I N I S.

THEO-

THEOLOGICÆ
MYSTICÆ

Auctorumque qui eam descripserunt

IDEA BREVIOR.

*Additur CATALOGUS auctior Scriptorum
Mysticorum aut Spiritualium, notatis iis
qui Systematice scripserunt.*

LACTANTIUS Div. Institut. LIB. IV.
CAP. II.

*Illic potissimum quærenda est Sapiencia,
ubi stultitiæ titulus apparet; cuius ve-
lamento Deus, ne arcanum sui Divi-
ni Operis in propatulo esset, thesau-
rum Sapienciæ ac veritatis abscondit.*

IDEA GENERALIS
 THEOLOGICÆ
 MYSTICÆ.

I.

N Eminem sanæ mentis, aut eruditione præditum imitari velle crediderim methodum eorum, qui, dum vident nomen & terminos Theologiæ Mysticæ haud esse communiter in usu, mox de ea judicium ferre, eandem condemnare, imo irridere haud verentur, ob unicam istam causam; haud attendentes quam puerile sit invehi in verba aut modos loquendi cujuscunque scientiæ aut professionis, sub prætextu, eadem vulgi captum superare. Nulli sane dubium est, merito pro stolido habendum talem, qui sic sese gereret, e. g. circa Geometriam, aut modos expressionis Algebraicos, qui a plurimis (exceptis expertioribus) longe magis judicabuntur continere verborum sonitus inanes (*Gallis galimatias*), & terminos barbaros, quam quic-

D §

quicquam aliud. Eccur ergo hujusmodi renunciare volunt æquitati respectu solum THEOLOGICÆ quæ *Mystica* dicitur, quo titulo quidam temerarii petulanter abutuntur, dum quicquam irrifioni exponere fatagunt? Interim vox isthæc nihil in se ridiculi fovet, imo propriam secum fert Apologiam: denotat nimirum tum *absconditum* aliquid, vel *arcanum*, ac proinde non omnibus conveniens; tum *internum* quid & *spirituale*. Theologi, imo Christiani omnes termino isthoc cum veneratione utuntur, quando Ecclesiam vocant *Corpus mysticum* Jesu Christi, & quemlibet Christianum, unum ex ejus membris *mysticis*. Nemo est, qui non agnoscat ac serio testetur occurrere in Sacro Codice plurima loca quæ in sensu *mystico* debent intelligi. Vox hæc fuit in ore & adhuc extat in Scriptis Sanctissimorum ex antiquitate Patrum, & a S. Paulo quadantenus est consecrata, quum dixit, *se se annunciare Sapientiam Dei quæ est in MYSTERIO, id est, quæ MYSTICA vel occulta est, quamque nullus Sapientum seculi cognoverit.* (1. Cor. 2.) Quare igitur, rursus innuo, tam injuste, tam pueriliter ab isthoc sicut & ceteris ejusdem

dem terminis abhorrent, quos pro idiomate barbaro, pro vocibus sensu carentibus haberi vellent? At cui bono hic puerilis strepitus? Sunt termini isti rerum mysticarum lectoribus æque familiares ac perspicui, ac cuilibet artificii sunt termini artis suæ, licet alii eosdem minime intelligant, nec propterea tamen in absurdis habent, aut eosdem irrident. Eadem omnium scientiarum & professionum est ratio; quas propriorum & particularium terminorum numero Theologiam Mysticam superare certus sum. Vasta Dictionaria quarundam idiotifimos vix exhaurire queunt, & circa argumenta spiritualia decem aut viginti voces ob neglectam animi applicationem obscuriores illico judicant. Nonne Idiotæ foret coram publico irridere velle *Hypotenusas, Ellipses, Parabolas & Hyperbolas*, sexcentasque alias voces Geometrarum; propterea quod vulgus easdem minime capiat? Profecto qui coram mundo honori suo consulere cupiunt, rubore suffundi deberent ob vel minimas istiusmodi ridiculas querelas contra Mysticos, ex quo hi monuerunt se non scribere pro quibuslibet, at tantummodo pro iis, qui serio
& at-

& attente amplecti volent res, & tota mente sese iis accommodare, prout præscripserunt.

II. Ecce hæc de nomine; progrediamur ad ipsam Rem denominatam. Com-monstrabo igitur cuilibet sana mente & æquitate prædito, nil magis rationi conforme, nil justius, nil clarius, nil ab omni parte esse solidius quam THEOLOGIAM MYSTICAM; atque hoc juxta propriam eorum confessionem. Attende igitur ad ea quæ tuo examini tuæque conscientiæ nunc proponere aggredior.

(1.) Annon longe verissimum est, Deum esse unicum omnis realitatis omnisque boni *Principium*, quemadmodum idem quoque est *Finis summus* ac unice postremus omnium; atque hoc nomine justum & rationi consonum esse, ut omnia quæ existunt, & imprimis homo omnesque ejus actiones, sese *Ipsi* subjiciant, omnem in *Ipsò* spem ponant, ad *Ipsum* referantur, & pro *Ipsò* in effectum deducantur?

(2.) Nonne verissimum est, Deum, veraque bona, quæ ab *Ipsò* tanquam fonte dimanant, esse *æterna*; hominem quoque æternitati creatum esse; con-
tra

tra vero, mundum ac omnia quæ mundi sunt, solum per momentum subito transiens nec unquam recurrens subsistere; ac propterea maxime justum ac æquum esse, ut quilibet mortalium serio ac totis viribus rebus æternum duraturis sit intentus, circa reliqua obiter saltem occupatus, solummodo prout fluxa exigui mediæ necessitas postulat, quod in se respectu æternitatis nihil fere est?

(3.) Nonne itidem certum est, Summum Bonum, quod est Deus, esse merum *Spiritum*, remque omnimode *internam & invisibilem*; atque pariter Hominem, quoad primariam sui partem & in quantum Summi Boni capax est, esse merum Spiritum, atque rem totaliter internam, & idcirco justissimum ac æquissimum esse, ut verum ille bonum, resque Spirituales, invisibiles & internas acquirere & in animæ suæ centro possidere annitatur, id est, ut sit homo, cujus vita, regimen & actiones sint *interne & spirituales*?

Poteritne quisquam ob modo dicta mecum litigare, quin simul & veritatem & justitiam, rationem & propriam suam conscientiam violet? Atqui his

concessis, ecce scopum, fundamenta,
 & principia Theologiæ Mysticæ omni-
 no concessa, simulque penitus con-
 gruentia veritati, rationi, & æquita-
 ti; sicut & non minus Scripturæ S. quæ
 inquit: (a) *Ab Ipso (DEO) pro Ipso,*
 & *per Ipsum sunt omnia.* (b) *Deus est Spi-*
 ritus, & *adorare debet in Spiritu.* (c) *Non*
respicimus visibilia, sed invisibilia; visibi-
lia enim non nisi temporaria sunt, invisibi-
lia autem sunt aterna.

(a) Rom.
 cap. II.
 (b) Joh. 4.
 (c) 2. Cor.
 cap. 4.

Hæc de Fine & Principiis; nunc de
 Mediis.

(4.) Annon certum quoque est, si-
 quidem homo (qui pro rebus æternis
 & divinis interior est,) amiserit verum
 bonum, (quod internum est & ejus-
 dem postremus finis omnisque boni cau-
 sa perpetim manet) nihil tum pro ipso
 magis esse æquum, magisque confor-
 me rectæ rationi, secundum illud quod
 concessum est, quam in intimis animi
 sese offerre isti invisibili & incompre-
 hensibili Bono, cum desiderio & spe,
 ab Ipso in nos redundaturum, tum bo-
 num quod largiri voluerit, cujusque
 Ipse Fons est; tum & Bonum quod
 Ipse est, & propter quod tanquam fi-
 nem creati sumus?

(5.) Ec-

(5.) Ecquis negabit porro & verum & justum esse, ut si in inferioribus nostris vel anima nostra, impedimenta aut obstacula Deo ejusque Bonis sese opponunt, sive in anima in quantum Dei eorumque quæ pure ab Ipso proficiscuntur capax est, sive in eadem anima in quantum eadem corpori juncta, & suscipiendis tam hujusce quam mundi impressionibus obnoxia est; ut, inquam memorata impedimenta removeantur, antequam Deus, ejusdemque spiritualia Bona, eorum loco ibidem reponantur?

(6.) Nonne verissimum est istam mali extirpationem absque Divinis operationibus neutiquam fieri posse, quod Deus omnis realitatis omnisque potentia sit origo; & nihilominus justissimum esse, siquidem homini quandam vel reliquit vel reddidit potentiam, ut homo ipse etiam a sua parte eandem in actum deducat; atque hoc pacto ad mali exterminationem cum Deo coöperetur?

(7.) An non sanæ rationi plane consonum est, ut, si anima rebus corporeis nimium affixa, iisque oppressa & inquinata sese ipsam ad operationes Ejus
maxi-

maxime spirituales omnimode ineptam reddidit, illa primo incipiat (ratione ordinis) sese expedire e vinculis crassiorum obstaculorum, vitiorum & fordidum a materiali convenientium, quo dein ad spirituale facilius progrediatur?

(8.) Nonne verissimum & manifestissimum est, siquidem boni obstacula, malum, peccatum, aut hujus effectus, usque ad animæ potentias penetrarunt, vimque ejus agendi ac sese gubernandi depravarunt; has easdem potentias & hanc corruptam activitatem, siquidem a perversitate sua liberari debent, nequaquam posse hoc per propriam vim, neque per hujus aut earundem harum potentiarum actus consequi; at solummodo per unum Dei actum: adeo ut animas istas imprimis oporteat, præter solum actum quo Deo sese offerunt eisdemque suum præbent consensum, Ipsi suas committere potentias, tanquam non amplius quærentes sanationem in actibus suis, sed in solo Dei actu, quem pati, ac ut in ipsis agat permittere, cupiunt?

(9.) Annon merito credere oportet animam, quæ adhuc proprios actus cum voluptate exercuit, quales actibus Divinis

vinis erant contrarii, saltem ab iis plane diversi, non posse privationem propriorum actuum sentire, nec puros Dei actus, qui perversitates ejus adoriuntur & impugnant, perferre, quin miras anxietates & extremos dolores internos inde patiatur?

(10.) Ecquis porro æquissimum esse negabit, statuere, simulac anima mox memorato officio suo erga Deum satisfecerit, seque Ei isthoc pacto tradiderit, tum Optimum Maximum illum a sua parte, hunc, inquam, tam Bonum, tam Liberalem, tam Magnum tamque potentem Deum, eandem animam posse & velle ab omnibus obstaculis, quæ in ea bonis Divinis, Ipsique illi reluctantur, liberare?

(11.) Nonne extra omnem controversiam est, quum Deus sit purum *Lumen*, purusque *Amor*, teste S. Scriptura; postquam anima ab eo, quod in ipsa Deo Ejusque bonis fuerat contrarium, est purificata, Deum tum non posse non participem eam reddere *Luminis* & *Amoris* per puras & Divinas operationes suas; imo purum *Lumen* & purum *Amorem* donatione sui ipsius in ipsam conferre?

E

(12.) An

(12.) An non justissimum est, quum Deus animæ cuidam & bona sua & se ipsum largiri velit, ut eandem tot probationibus subjiciat quot e re fore judicaverit, tum quo eam doceat se præmunire adversus inimici fallacias, tum ut ejusdem fidelitatem exploret?

(13.) An inficiari quisquam poterit, Deum & se & bona sua tradere quidem posse maxime realiter intimis animæ, at nihilominus tamen haud plene, quamdiu scilicet hæc anima per capacitatem, aut partem suam inferiorem, adhuc alligata est corpori mortali; unde in ea exurgunt impressiones stuporis, quæ actus ejus interrumpunt & offuscant, distractiones item & sensationes materiales, doloresque & afflictiones, & mille alia miseriarum genera, quæ ipsi a parte proprii corporis ac totius mundi eveniunt? Et quum Sapientissimum illud Numen hic veram sui fruitionem sui que sensum per intervalla impertiat, nonne plenam eorum donationem usque ad dissolutionem mortalis hujusce corporis differre potest?

(14.) Tandem cum Deus sit incomprehensibilis ac infinitæ sapientiæ, in se, in bonis suis, in suis actibus & ope-

operationibus, in viis suis suoque regimine; an non in diversis animabus mille ac mille modis diversis operari potest, iisdem conferre gratiæ dona, sensationes, lumina, uno verbo, bona atque dona infinitæ varietatis; gubernare illas modis infinite diversis, quos mens creata & finita nunquam nec comprehendere nec penetrare poterit, multoque minus mens peccati labe corrupta & offuscata? Et num vel minimæ probabilitatis est, hominem, qui Deum ejusque Spiritualia Bona peccando amisit, nec adhuc dum ad Deum reverti, ejusque Faciem denuo quærere est anisus, quique necdum decrevit quod officii sui est exequi, ac multo minus operationes cœlestes percepit, aut bona divina recuperavit; hominem, inquam, talem, veram posse rerum harum habere notitiam, aut rite de iis judicare? Nonne e contra verissimum est, ipsum ne γρὺ quidem horum comprehendere? & si quidem de iis judicium ferre audeat, hoc non plus valere mereatur, quam *Hylax in limine latrans?*

III. Suppono, me hic non loqui & quæstiones hæc proponere bardis ac plumbeis mente humana carentibus;

neque ferocibus bestiis violento solum affectuum turbine agitatis ; neque fatuis ratione destitutis, qui actutum respondeant, antequam ex ipsis quaesita intellexerint ; sed hominibus sedatio-
ris animi, qui serio expendant ea quae supremum ipsorum finem respiciunt ; qui sana ratione praediti, evidentiam & aequitatem eorum advertere possint ; qui conscientiae integritate impulsii aperte ac sincere declarent quae in se sentiunt, quorumque in intimis animi sunt convicti. Scilicet hi sunt de quibus procul omni dubio consensum mihi spondeo circa ea omnia quae mox in medium attuli, minime dubitans quin eorum evidentiam, veritatem, aequitatem & soliditatem promte fateantur.

IV. Haec vero omnia absolute nihil aliud sunt quam **T H E O L O G I A M Y S T I C A**, hancque universam comprehendunt : (nam plurimum falluntur, qui eandem operationum supernaturalium parte, articulo 14. memoratâ, unice absolvi putant.) Superest solummodo ut in membra dividatur & articulos, una cum deductione magis speciali & amplius extensa ; sicut & ut in progressu ejus detur opera ut uno alte-
rove

rove verbo designentur res jam per prolixiores circumlocutiones expositæ: absque quo tædiosum foret assidue repetere longos discursus, quoties menti repræsentare quis vellet ea quæ jam ante fusius erant commemorata.

V. Atque hæc est terminorum cujuslibet artis ac scientiæ aut professionis origo. Exempli gratia: In Mathefi mentio fit figuræ e quatuor lineis re-ctis, cujus latera opposita sunt æqualia, eandemque inter se servant distantiam, & cujus anguli sunt obliqui lateribus inæqualibus. Siquidem quoties de istiusmodi figura loquendum est, toties prolixam istam verborum seriem denuo commemorare oporteret, quam molesta & operosa foret narratio? Ad evitandam hanc, satius esse judicarunt, cuncta ista denotare per unicam vocem *rhomboidis*, hominum vulgo barbaram & inintelligibilem, nihilominus a nemine adhuc risu exceptam, & ob quam nullus sanæ mentis sermoni, cui intermixta illa fuerit, *barbariei* (a) titulum affricare volet. (a) *Gali-*
 An incongruum erit, ut qui Theolo-
 matias.
 giam Mysticam exponunt, eadem sese gerant ratione; & sic quoties animæ, quæ concessa a Deo potestate ad remo-

venda, per coöperationem cum ipso, salutis obstacula utitur, statum indigitare volunt, toties debeant repetere omnia illa vel similia verba; neque ipsis liceat totum istum processum exprimere per terminum *Purificationis activæ*? porro num crimini dandum vel irridendum, quando Mystici simile compendii genus usurpant, & *Purificationis passivæ* terminum assumunt, ad significandum ejusdem animæ statum, quo eadem Deo sese tradente, ut ipsam, ejus potentias & activitatem a perversis reliquiis quas profligare illa nequit, liberet; Deus idem hoc in ipsa operatur, atque tum illa recipit & pure sustinet Divinas purificantes istas operationes? Possem hic omnes alios Theologiæ Mysticæ terminos enarrare, & quoad hos ab omnibus sana mente præditis sciscitari, ane hunc tam utilem & generaliter ubique comprobatum procedendi modum, absurdum judicare audeant?

VI. Alia adhuc sese offert ratio, necessitatis nimirum, ob quam subinde uti cogimur verbis alias minus usitatis. Scilicet quando quis particularia quædam est expertus, quæ vix quisquam
alius

alius animadvertit. Si quis per remotiores terras iter fecisset, ibidemque conspexisset fructus, plantas aut animalia, quoad figuram, colorem, sapes ac quasilibet proprietates, multum diversa ab omnibus iis quæ unquam vidimus, aut gustavimus; ac ipse generalem eorum nobis ingerere conceptum allaborans, quosdam novos ac insolitos adhiberet terminos ad designandas istas plantas aut ista animalia, eorumque quasdam proprietates, quosdam colores & sapes; num propterea talis irideretur; vel mirum videretur, non posse quenquam imaginatione sua tam perfecte tamque vivide res illas comprehendere atque ille, quamdiu quis easdem propriâ experientia haud cognovisset? Perspicuum nobis est, neminem posse negare, in Deo, in ejusdem Sapiencia, in viis & operationibus ipsius, infinitas reperiri varietates, quas pro arbitrio suo animabus ab omni impedimentorum genere liberis imperiri potest: Cuncta vero hæc minime posse concipi ab illis qui ad talia neutiquam sunt idonei, neque eadem unquam experti sunt. Ponamus nunc, Animas istas spirituali experientia in-

structas, mirabilia illa aliis ruditer re-
 præsentare velle, ut in ipsis excitent
 desiderium a perverso suo statu rece-
 dendi, viamque eligendi per quam ho-
 rum bonorum fruitionem assequi pos-
 sint. Debetne hoc iniquum haberi ab
 ullo sana mente prædito, propter in-
 solitas quasdam voces, queis uti oportet,
 quasque adhuc dum clare intelli-
 gere alii nequeunt?

VII. Nota, me hæcenus unice ad
 testimonium rationis & sanæ mentis cir-
 ca omnia quæ in medium attuli provo-
 casse, non quod Rationem tanquam le-
 gitimum hic Judicem agnoscam, mul-
 toque minus tanquam principium in Re-
 bus Divinis agens; verum ut non nihil
 indulgerem iis, qui per viam hanc proce-
 dere consueverunt; opto etenim ut quæ
 in genere & ideâ per illam de rebus
 mox memoratis percepturi sunt, ipso-
 rum conscientiæ *Testis* loco sint, quo
 illa declaret, an ei videantur rationi,
 & æquitati repugnare, imo res absur-
 dæ & contradictoriæ.

VIII. Forte quisquam mihi objiciet,
 siquidem totum istud negotium hoc pa-
 cto sese habeat, necesse esse, univer-
 sum mundum fieri mysticum & spiri-

tualem ut salvetur ; quum tamen huc usque creditum fuerit, *Religionem*, quæ nos salvandi medium est, & *Theologiam Mysticam*, esse duo admodum diversa. Cui respondeo, si per *Theologiam Mysticam* intellexerit certas quasdam Dei in quibusdam animabus operationes extraordinarias & transeuntes (quæ tamen *Theologiam Mysticam* minime constituunt,) aut etiam cognitionem actualem vel idealem omnium argumentorum Mysticorum; hoc sensu eandem cum *Religione* non esse unum & idem: At si per eam *Theologiam* intelligamus, ut fieri debet, praxin & exercitium eorum, quæ proposuimus, scilicet coöperationem hominis, & dein Summi Numinis operationem ad purificandum, & uniendum; illam esse ipsam *Religionis* substantiam & puram vim.

IX. Jam ab ipso mundi initio usque ad hoc tempus, veræ *Religionis* semper respectu hominum duplex fuit status: in nonnullis nempe religio fuit in statu vigoris ac plenitudinis Divinæ; in aliis vero, qui maximum & fere totum numerum faciunt, in statu infirmitatis, ægrotudinis, & languoris. Pauci sunt qui postquam lumine &

amore Dei relictis, ad creaturas & ad malum sese converterunt, denuo viam hanc relinquunt, ut Deo iterum sese tradant. Qui hoc exequentur, maximam partem imperfectissime procedunt, per intervalla, modoque adhuc valde infirmo & summe languido: attamen, dummodo sincere agant, Deus est tam benignus, ut a mortalibus acceptet illa quæ Ipsi offerunt; & prout ad recipiendum dispositi sunt, sic bonorum suorum largitione Optimus Maximus ipsis respondet; proinde si hæc dispositio exigua est & interrupta, Deus salutarem suam gratiam identidem & frustillatim quasi confert; & siquidem eveniat, ipsos durante bono isthoc intervallo mortalium numero eximi, gratia perpetim cum ipsis manet, eosdemque salvat, at longe difficilior, minus copiose, minus jucunde, minusque gloriose pro tota æternitate, quam si alia ratione, & fidelitate minus interrupta operanti Lumini respondissent. Ecce statum Religionis in vulgari bonorum qui salutem suam quæsiere, cœtu. Verum enim vero si quis a creatura animum omnimode retraxisset, ad cor Suum Divino Numini plenissime exhiben-

bendum, flagrans Eiusdem ardentissimo & unico desiderio, coöperando gratiarum donis, pro modo mensuraque omni virium ipsi a Deo communicatarum, ut dein se *duci aut agi sineret* (sicut (a) inquit S. Paulus) & *perfici* (a) Rom. (juxta verbum (b) ejusdem Apostoli,) cap. 8: 14. *ἀγούνται.* purificari & regi per purissimas Boni ejusdem Spiritus motiones, quas non potuissent non insequi omnia dona omnesque divitiæ, quas Domino placuisset tali animæ infundere: talis fane & exercuisset ac commonstrasset veram Religionem, Religionem Christianam, ejusque puram vim ac perfectionem; & simul vere patuisset, hanc Religionem in perfectione & pulchritudine sua, nil quicquam differre a praxi Theologiæ Mysticæ. *(b) Eph. cap. 2: 10. ποίησα.*

X. Et hoc pacto rem experti sunt Abel, omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli & Christiani primitivæ Ecclesiæ, tot millia sanctorum Eremitarum, qui in Desertis Egypti & Palestinæ degebant, quorum vita nil nisi contemplatio & amor purus erat; totque sanctæ animæ hinc inde dispersæ aut delitescentes, omnibus seculis; qui omnes tanquam certissimorum testium

stium legiones nobis inserviunt. Quamvis autem reliquorum mortalium respectu, ingens iste numerus admodum sit parvus, & pauca sancti illi sint locuti, paucaque scripserint, saltem parum perspicue, de memoratis rebus, metu ne sacra illa & margaritas canibus & porcis exponerent; tamen ea quæ ex illis supersunt abunde ad veritatem istam confirmandam sufficiunt. Familiaritas Dei cum Abele, cum Henoch, cum Abrahamo, cæterisque Patriarchis, qui coram Divina Ejus Facie tam familiariter perpetim ambulabant; declarationes Davidis, (a) *Jovam mihi iugiter habeo propositum, quo mihi dextero non labesiam: Jovam in oculis semper habeo: Anima mea in Ejusdem versatur presentia, sicut terra pluviam sitiens. Studete Jovæ, Ejusque potentia, ejus vultum requirentes continenter. Hæc cum animis vestris cogitate in vestris cubilibus & silete. Amo Jovam, qui meam supplicem vocem exaudiverit: Ambulabo in presentia Domini cunctis diebus vitæ meæ.* Effata Jesaïæ: (b) *Animo seu spiritualiter te noctu cupio, tibi avidamente pectoris invigilans: Jelu Christi, (c) Estote perfecti, quemadmodum Pater vester qui in Cælis est, perfectus est:*

(a) Vid.
Pf. 4, 16,
25, 105,
116, 143,
&c.

(c) Jes. 26.
vs. 9.

(c) Matth.
Capp. 5,
6, 7.
Joh. 13.

Mente

Mente puri Deum videbunt. Ne congerite vobis opes in terris, sed in Cælo, ubi animus vester sit. Nemo potest duobus servire Dominis. Querite Regnum Justitiamque Dei. Diligite vos invicem sicut ego vos dilexi. S. Pauli: (a) Dei amore perfusi sunt animi nostri, per Spiritum Sanctum nobis datum: Quicumque Dei Spiritu aguntur, ii Dei Filii sunt. Nos omnes detecta facie splendorem Domini specularantes, (five contemplantes,) in eandem transformamur imaginem, splendore perpetuando, tanquam a Domini Spiritu. Non respicimus amplius visibilia, sed invisibilia. Nostra conversatio est in Cælis. Vita nostra abscondita est in Deo cum Christo. Sublati sumus cum Eo in loca supercælestia. In Novo Homine Christus est OMNIA in Omnibus. S. Joannis: (b) Quicumque manet in Jesu Christo, debet ambulare & vivere sicut Ipse. Si quis mundum diligit, amor Patris non est in ipso: Vos estis fortes & vicistis. Vos habetis unctionem Sancti & omnia novistis. Hac interna Unctio est vera. Illa manet in Vobis. Non habetis opus ut alii vos doceant: Illa vos omnia docet. Permanete in illa. Quicumque in illa permanet, non peccat, natus & renatus a Deo. Deus est Amor: qui manet in Amore, manet in Deo &

(a) Rom. cap. 5. & 8. 2 Cor. cap. 3: 24. Eph. 2. Phil. 3. Col. 3. &c.

(b) Joh. Capp. 2, 3, 4.

Deus in ipso. Perfectus Amor expellit timorem: & ubi timor est, ibi amor nondum purus est aut perfectus. &c. Hujusmodi testimonia infinita, quæ tum e Sacro Codice, tum aliorum Sanctorum Scriptis citari possent, debent nos omnimode certos reddere, quovis tempore animas, quæ Religionem Christianam consummatissime possederunt, vere fuisse spirituales & contemplativas, eoque ipso revera substantiam Theologiæ Mysticæ in interioribus fovisse, utpote a perfectione Religionis Christianæ minime diversam.

XI. Quod autem hujusmodi Spirituales & veri Mystici tam raræ aves, nullo non tempore fuerint, id generalis a Sancta isthac Religione defectio unice effecit; & sperandum est, Optimum Maximum Ecclesiam suam renovare, Religionique Christianæ pristinum vigorem ac splendorem circa postrema, in quibus nunc vivimus, tempora, reddere cupientem; hoc facturum per veram & ipsa praxi efficacem restorationem Divinæ hujus Theologiæ, per **CONTEMPLATIONEM** & per **AMOREM PURUM**, quæ ejusdem caput & cor sunt, *Urim & Thummim* Sacerdo-

cerdotalium animarum, principia duas nobilissimas hominis facultates perficientia, contemplatio scilicet Intellectum, & Amor purus Voluntatem. Et hinc probabile est, Dominum, qui sacra indignis carnalium oculis exponere prohibuerat, hanc ob causam nunc permittere ut eadem ubique incipiant evulgari; dum ab altera parte humani generis inimicus contradictiones & obstacula suscitare pro viribus annititur, utpote satis prævidens, neminem non, qui summo Numini mentem suam ad recipienda Ejusdem lumina, & cor suum Divini Amoris igne incendendum obtulerit, e tenebris, erroribus, peccatis, vitiisque omnibus emerfurum, ac proinde Sancti Spiritus fore habitaculum, quod semel extructum non amplius diruetur. Quapropter ii, qui ad instructionem animarum & Ecclesiæ Dei regimen sese vocatos esse autumant, summo studio quemlibet præparare deberent, & quantum fieri potest idoneum reddere his fundamenti faxis, Contemplationi, inquam, & Amori, vel, uno verbo, *Amorosa Contemplationi Dei*: sin secus, tamen Opus hoc cœleste sine ipsorum molimine perficitur,

(a) Pf. 118. tur, & Canticum Divini Vatis aliquando in eorum pudorem implebitur: (a) *Lapidem, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.*

XII. Forte judicabit quispiam, esse, hic paucis commemorare primarias divinæ hujus Theologiæ Mysticæ partes, earumque argumenta, ad suggerendam totius compendiosam ideam. At quum hoc præcedentibus quæstionibus jam aliqua ex parte præstiterim, ecquid possem expromere amplius in præfatione, quam succinctam reddere oportet? Quoniam tamen, jam alibi talia ab aliis descripta animadverti, velim Lector adeat tractatum, quem æque prompte atque hunc inveniet, cui titulus, *L'ABREGÉ DE LA PERFECTION CHRE'TIENNE, seu COMPENDIUM PERFECTIONIS CHRISTIANÆ.* Bis nuperrime typis est excusus in (b) *Theologia Cordis.* Brevis, methodicus & succinctus est, tamque excellens, ut vix exprimi queat. Tractat argumentum suum fere eadem methodo, quam in supra memoratis quæstionibus notavimus; nimirum animam
dum

(b) *La Theologie du Cœur*, de quo infra §. 16.

dum suum nihilum suamque perversitatem ab una parte intuetur, cum intimo contemptu & averfione sui ipsius, & ab altera Deum cum summa veneratione & sincero amore respicit, coöperari cum Ipfo Ejusdemque gratia, ad removenda a sese obstacula Deo opposita; ac dein Deum solum pravas emendare dispositiones, ubi anima per propriam *activam* coöperationem nil efficere potest, sed solum perferendo sive *patiendo* operationem Dei. Jam in hujusce tractatus initio notabilis memoratur distinctio inter Viam Mysticam *ordinariam*, quam suadet & exponit; & *extraordinariam*, quando scilicet Deus mox in principio per extases, visiones, sensationes & lumina agit in intellectum, in imaginationem, aut in sensus hominis, qualem viam exoptare periculosum; & quam *cum peccato* etiam mortali, *in tyronibus Christianismi subsistere posse* dixerunt Sancti nonnulli; dum Optimus Maximus per vivida lumina sua & supernaturales suavitates eosdem subinde allicit, in mediis etiam eorum aberrationibus. Hinc autem concludere velle, ceu contentiosæ quædam mentes audent, Divina & supernaturalia

Gratiæ dona, quæ Deus in Contem-
platione animabus in sanctitate promo-
tis aut perfectis impertit, imprimis
quando eædem pervias ordinarias duce
Spiritu S. processerunt, cum peccati
mortalis statu posse esse juncta; cras-
sam circa hoc argumentum ignorantiam
ostendit; atque COMPENDIUM,
Tractatus scil. memoratus, abunde
commonstrabit, fieri istud minime pos-
se. Omnes status, per quos anima ad
perfectionem tendere debet, ad tres
redigit; & sex in primo statu gradus
describit, in quo animadvertitur, ani-
mam diversimode & cum majori mino-
rive activitate cum Deo concurrere,
ut liberetur ab eo quod ipsam quolibet
respectu indispositam reddit. Secun-
dus status pure passivus est; & tertius
meram continet nuditatem; quo omni-
moda absolvitur perfectio, tumque a-
nima quam maxime Deo redditur con-
formis in contemplatione & puro Amo-
re Dei. Termini *annihilationis*, (a) *ex-*
propriationis, *subtractionis*, *indifferentiæ*,
conformitatis, *uniformitatis*, *transforma-*
tionis aut *Deificationis*, hic clarissime sunt
expositi, & imprimis in augmento se-
cundæ editioni inserto. Eadem quoque
argu-

(a) l. des-
appropria-
tion.

argumenta de novo recensentur, & magis adhuc singulatim pertractantur contra amorem proprium (qui omnia, quæ abdicare oportet, obstacula complectitur) & quo ad *orationem quietis*, in secundo tractatu ejusdem generis, qui priori est annexus, & inscriptus, (a) *Ruina amoris proprii*, aut *Abnegatio interior*, in quo possibiles omnes præcautiones occurrunt ad evitandum quaslibet illusiones, omnesque, qui excogitari queunt, abusus in hisce spiritualibus viis.

(a) *La Ruine de l'Amour propre, ou l'Abnegation intérieure.*

XIII. Utinam duo fatis memorabilia hic bene observarentur: *primo*, ne diversi status inter se confundantur, quoniam maxima difficultatum & absurditatum pars, quæ Mysticis objici solent, inde exurgit, quod rerum harum ignari applicent statui inferiori, quæ de superiori fuerunt proposita; aut statui superiori, quæ ad inferiorem pertinent: id quod idem est, ac si quis homini adulto lactis vel jusculi loco cibum solidiorem potumque fortiorem præscripisset, ac dein, ut consilium hoc appareat ridiculum & perversum, idem convitiis coram infantibus denigrare niteretur. Utinam *secundo* observaretur,

ne nimis determinate sumantur, nimisque absolute restringantur multa, quæ tum de operationibus Dei, tum de viis & officiis animarum proferuntur: multoque minus adhuc oportet esse pronum ad condendas universales regiminis regulas quibusvis accommodandas. Operationes Sanctissimi Numinis sunt & numero & varietate infinitæ; sicut & animarum dispositiones. Ipse etiam Deus ut plurimum multipliciter Sapientiæ suæ ubique commonstrare amat. Quod vero penitus subvertit quæstionem nuper agitatum circa *suspensionem* aut *ligaturam facultatum* in statu passivo. Status hic insignis est amplitudinis, æque ac ille diversæ constitutionis animarum & modorum quibus eadem excoli debent. Modi & gradus suspensionis itidem admodum sunt numerosi; sic ut subinde in certo subjecto nihil fere suspensionis ejus sese offerat, interdum plus; ibi plurimum, alibi amplius; & quibusdam temporibus aut in quibusdam subjectis, absolutæ & perfectæ fuerint suspensiones, & postmodum plane nullæ in mentibus passivis, quæ omnium perfectissimæ erunt. Mater quæ infantulum suum brachiis amplectitur

tur, nonnunquam eundem pannis vinc-
ctum tenet, totumque corpusculum
quasi colligatum; quandoque minus;
& subinde plane nudum & sine vincu-
lis. Optimo Maximoque Deo liberum
est pari ratione agere, quomodo &
quando Ipsi lubuerit. Hæ duæ Obser-
vationes haud exigui usus sunt circa
maximas difficultates.

XIV. Erunt forte qui expectabunt,
ut saltem obiter quasi uno alterove ver-
bo mentionem faciam primariorum quo-
rundam e Mysticis argumentorum; sci-
licet, *Viarum purificationis, illuminationis,*
unionis, transformationis, Deificationis:
τῆ non EGO: annihilationis: con-
templationis activæ & passivæ: amoris pu-
ri, cum ejusdem probationibus: expropria-
tionis sive denudationis, & indifferen-
tia. Haud recuso de iis quicquam me-
morare, ut easdem in Scriptura S. &
in Sanctorum scriptis commonitrem.

XV. Quum loca jam alibi indicave-
rim, verear ne Lectorem, post loca mo-
do (a) indicata, crassæ nimis ignoran- (a) Supra
tiæ haberem suspectum, si ulterius infi- num. x.
sterem terminis *purificationis & illumina-*
tionis, qui in Sacro Codice toties oc-
currunt, ut nemo eorum immemor

- (a) Joh. 17: esse possit. Christus (a) in ultimis precibus suis a Patre suo conceptis verbis petit *Unionem* pro discipulis suis & cunctis fidelibus, *ut omnes sint unum in Patre suo & in ipso: ut omnes sint consummati in unum*; quo ipso cum unione significatur *transformatio*, quæ & ipsa in S.
- (b) Rom. Paulo legitur, dicente (b) **TRANSFORMAMINI** per *renovationem Mentis vestrae*, & (c) *nos qui contemplamur gloriam Domini TRANSFORMAMUR ad Ejus imaginem*. Verissimum quoque nec minus evidens est, *Deificationem* exprimi per alium textum Paulinum, nimirum (d) quum inquit: *Qui junctus aut unitus est Domino, UNUS SPIRITUS cum Ipso est*; quemadmodum etiam per illam *consummationem in unum* a Christo Servatore memoratam, pariter ac per verba S. Petri (e) eos nempe qui evitarunt *corruptionem & desideria mundi fieri PARTICIPES Naturæ Divine*. Sicut enim calefactio & participatio caloris idem sunt, eodem modo *participatio Naturæ Divine & Deificatio* termini sunt manifeste æquipollentes. Vox *Deificationis* comparet quoque in 15. & 26. Homilia S. Macarii, ubi ait, *Hominem qui victoriam reportavit,*
- “ &

& in quo vitiorum radices sunt e-
 vulsæ, primam formam & gradum
 primi Adami recuperare, imo ipsum
 antecellere, quia (a) est *Deificatus*; (a) ἀπο-
 Ibidem verbum *Deiformis* (b) similiter (b) θεοει-
 & animæ, & ipsi corpori tribuitur. δης. Ο-
 Amplius, in S. Scriptura (c) vocan- pusc. vii.
 tur *DII*, ad quos sermo Dei factus est; Cap. 25.
 si hoc, quanto majori jure illi, qui- (c) P̄. 82:
 bus Verbum substantiale, Jesus Chri- v̄. 6.
 stus, Ipse Deus, adeo est unitus, ut Joh. 10:
 non sint nisi *unus Spiritus* (teste S. A- v̄. 34.
 postolo) poterunt *Deificati* appellari,
 titulo inferiori isthoc Scripturæ S. quæ
 tales nominat Deos; in quo eandem (d) Ho-
 imitari voluit S. Macarius, non du- mil. 27.
 bitans perfectos Christianos eodem ἐπι καὶ
Deorum titulo (d) insignire. Multi e θεοί.
 Patribus (e) similes idemque cum il- (e) Chry-
 lis S. Macarii denotantes terminos ad- soft. A-
 hibuerunt. Quum S. Paulus inquit, than. Cy-
 (f) *Vivo*; attamen non ego: sed Chri- rill. &c.
 stus in me; ecce terminum NON-EGO, Vid. The-
 & Deum in loco istius EGO; ecce saur. Surce-
 illud *meum* EGO EST DEUS S. Catha- ri, in vocî-
 rinæ Genuensis. Quando ille Apосто- bus θεο-
 lus de semetipso testatur, (g) *Nihil* σθαι, θεο-
 sum, & de Jesu Christo, (h) quod ποιεῖσθαι,
 seipsum ad nihilum redegerit; ecce Nihil- &c.
 lum (f) Gal. 2:
 (g) v̄. 20.
 (h) 2 Cor.
 c. 12: 11.
 (h) Phil.
 cap. 2: 7.

lum & Annihilationem. Loci supra citati e Pfalmis, Evangelio & S. Paulo designant *Contemplationem* a parte hominum qui Deum intuentur; & a parte Dei, qui puris cordibus sese infundit, inque illis lucet, quemadmodum S. Apostolus profitetur, (a) *Ipsum in corde suo lucere*; ecce *Contemplationem activam* & alteram *passivam*, utramque unico textu Davidico comprehensam, (b) *Aspicient ad eum* (scilicet Deum) & *illuminabuntur*. Purus Amor non posset exactius notari, quam verbo hoc Servatoris: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis & ex tota mente tua*; id quod consummato sensu innuit Deum debere esse objectum, causam & finem omnis nostri amoris, omnisque nostri consilii. Erat sane hicce amor admodum purus *omnisque proprietatis ex-*

(a) 2 Cor. cap. 4: 6. *pers* in Mose, qui paratus erat (c) e Libro c. 32: 32. *Vita expungi pro populo suo*; nec minus

(d) Rom. cap. 9: 3. in S. Paulo, (d) *qui anathema esse volebat pro eodem*; ut & in primis Christianis, quorum Charitatem describens Apostolus, inquit, (e) *illam non querere quæ sua sunt*; porro in Sponsa Cantici (f) *quæ in vexillo suo unicam*

(e) 1 Cor. cap. 13: 5. *hanc*

(f) Cantici. 2: 4.

hanc gerebat vocem, AMOR. David de tentationibus suis loquens, vocat eas

(a) *dolores inferni, vincula mortis, repudiari a facie Dei*: Similia, imo efficaciora adhuc pronunciavit Jobus. (a) Ps. 18; 31, 77, 116. &c.

Nullibi autem major comparet *indifferentia*, quam illa Christi Domini Patri suo dicentis, (b) *non mea voluntas, sed tua*; neque major (c) *proprietatis rejectio*, quam in hac ipsa consummata resignatione, & quando vult, ut (b) Luc. c. 22: 42. (c) *Desertion.*

quilibet *propriam suam voluntatem abneget*; quo ipso omnia comprehenduntur, quia res minime nos afficiunt, nisi per desiderium & voluntatem.

Denique distinctio partis inferioris & superioris animæ, aut differentia animæ & Spiritus, & eorum, quæ spiritualiter fit, separatio, fundamenti loco inserviens sublimioribus Theologiae Mysticae argumentis, iisdem verbis est expressa a S. Paulo in ejus Epistolis

(d) ad Thessalonicenses & (e) Hebræos. Integro libro opus foret ad commemoranda omnia S. Scripturae loca tum de hocce subjecto, tum de omnibus aliis Theologiae Mysticae terminis, quorum ne ullum reperias, qui non possit monstrari, saltem signifi-

(d) 1 Thes. sal. 5: 23.

(e) Hebr. cap. 4: 12.

ficatione æquipollenti, in Divinis Literis & Sanctorum operibus. At præveniamus hic pudorem & confusionem eorum qui verba ipsius Dei ludibrio habere, imo injuriose eidem obtrectare imprudenter ausi sunt.

XVI. Relictis terminis, progrediamur ad res ipsas. Ecce quomodo S. Macarius in Homilia 31. describit CONTEMPLATIONEM, aut orationem *activam*, ubi contra distractiones pugnatur, & *passivam*, quæ per illam acquiritur: *Deus summum bonum est, in quem debes colligere mentem & cogitationes, nec quid aliud animo concipere, quam expectationem ejus intueri. Sit igitur anima, perinde ac Mater quæ filios vagantes colligit, & castigans dispersas per peccatum cogitationes inducat in domum corporis sui, semper expectans Dominum in jejuniis & dilectione, quando veniens vere colligat eam. Futurum autem cum sit incertum, eo amplius speret, in gubernatore spe recte collocata ----- Quemadmodum nihil nocuit Raab habitatio cum alienigenis, sed fides eam conciliavit partibus Israëlitarum: ita peccatum nihil ledit eos, qui in spe & fide redemptorem expectant, qui veniens immutat cogitationes*

nes anima, ac reddit eas divinas, cœlestes, bonas, & docet animam verum precandi modum, non distractum nec vagabundum. Ne timeas, inquit, ego ante te ibo, & montes adæquabo, portas æneas conteram, & vectes ferreos confringam. Et rursus, Attende tibi ipsi, ait, ne quando verbum absconditum in corde tuo fiat iniquitas: ne dicas in corde tuo: Gens hæc numerosa est, & potens. Si nos socordia non dissolvamur, nec pabula præbeamus incompositis cogitationibus vitiorum, sed sponte nostra trahamus animum, & cogamus cogitationes ad Dominum: dubio procul Dominus sponte sua veniet ad nos, & revera congregabit nos ad seipsum. Omnis enim animi gratitudo & ministerium in cogitationibus consistit. Quocirca contende, ut placeas Domino, expectans eum perpetuo interius, querens eum in cogitationibus, & compellens atque adigens tuam ipsius voluntatem atque intentionem, ut in eum perpetuo intendant: & expende quare ratione venit ad te, & mansionem facit apud te. Quanto enim magis colligis animum tuum ad eum querendum, tanto magis ipse compelletur a propria misericordia atque benignitate, ut veniat ad te, & te refo-

refocillet. Fixus enim intuetur mentem tuam, cogitationes & meditationes: considerans, quomodo queras eum, & an ex tota anima tua, an non segniter, an non negligenter. Et ubi viderit diligentiam tuam, in eo querendo adhibitam, tunc manifestatur & apparet tibi, auxilioque suo impertito, ac victoria tibi preparata, liberat te ab hostibus tuis. Conspetto enim prius tuo querendi eum ardore, & quo pacto omnem tuam spem indefinenter in eo locatam habeas, hic docet atque largitur verum **PRE-CANDI modum, DILECTIONEM** veram, quæ est Ipse, omnia apud te factus, paradisus, lignum vite, margarita ingentis pretii, corona immarcescibilis, architectus, agricola, patibilis, impatibilis, homo, Deus, vinum, aqua viva, ovis, sponsus, bellator, arma, uno verbo, omnia in omnibus, **CHRISTUS.** Quemadmodum vero infans non novit seipsum curare vel ornare, sed solum oculos convertit ad matrem, flens, donec misericordiâ commota illum suscipiat: sic fideles animæ in solo Domino spem habent perpetuo. Neutiquam hic peto, ut excusatum me habeat Lector ob prolixitatem insignis hujusce loci, cui similes ejusdem efficacix jungere possem. Ec-

ce vero breviorē de PURO & privatam utilitatem negligente AMORE.

XVII. (a) *Qui Deum vere amaverunt, ii neque ob spem regni (cœlestis) elegerunt ei servire; quasi mercatores, lucrum, aut operarii, mercedem captantes; sed neque ob metum preparata peccatoribus pœna; verum in illum uti Deum solum & Creatorem proprium affectu inclinati, ex recte conclusa inde ratione consequenter agnoscentes, æquum ac juste debitum esse, ut creatura Conditori, servi Domino ----- Anima non ab afflictionibus solum, sed & a consolationibus periclitatur tentari. Et per ambas istas res a Conditore animæ probantur; ut his explorationibus manifesto appareat quales sint? mercenariæ-ne nundinatrices charitatis, quæstus sui causa Deum amantes, an solum propter se ipsum eum diligant; quod illum, ut est in sua natura propria, citra respectum ad nos, omni dignum amore honoreque sciant. Ne nimium prolixus sim, probationes animarum hic describere supersedeo, æque in Sacro Codice quam hujus Sancti scriptis occurrentes, qui in Homilia 18. plurima gratiarum dona, quæ Deus in hac vita animabus infundit,*
 plu-

(a) Opu-
scul. VII.
Cap. 20.
pag. 208,
209. Edit.
Lipsiens.

pluresque status, per quos easdem ducit, dinumerat, ut sunt „ gaudia Epuli Cœlestis, Divina Sponsi Sponsæque unio, Levitas Angelica, Inebriatio Divina, Luctus ob interitum animarum, ardores lætitiæ & charitatis, profunda infra omnes humiliatio, ineffabile animi gaudium, fortitudo contra inimicum, deliciæ mentis, ejusdemque inexplicabilis quies in alto silentio, in tranquillitate, in pace, detectio inenarrabilem secretorum; & subinde status plane communis. Testatur de cunctis hæc gratiæ donis, (quorum & nomina & novitatem admodum inconsiderate recentioribus Mysticis quidam cum ludibrio objiciunt) Deum eadem identidem conferre & auferre prout Ipsi lubet animas exercere & puriores reddere, quamvis a perfectione haud longe absint, necdum tamen eandem attigerint; nam quoad perfectas, hæc hunc in modum genuine depingit:

(a) Ibid. (a) *Ubi anima ad perfectionem Spiritus pervenerit, perfecte ab omnibus affectibus expurgata, & Spiritui paracletico arcana societate unita & permixta, ac temperata cum Spiritu, meruerit fieri Spiritus, tum to-*

ta lux, tota oculus, tota Spiritus, tota gaudium, tota delectatio, tota exultatio, tota dilectio, tota viscera, tota bonitas & clementia fit. Sicut enim lapis in profundo maris, undique aqua circumdatur; sic hi omni modo Spiritui S. permixti, similes sunt CHRISTI, virtutes potentiae Spiritus constanter in se ipsis obtinentes, intus & extra puri, omnisque maculae ac reprehensionis expertes. Cum enim per Spiritum sint consummati, quomodo possunt extra fructum vitiosum proferre? Verum perpetuo per omnia fructus Spiritus in iis enitescunt. Volo hæc locorum nonnihil prolixorum in medium afferre specimina, tum ut constaret Theologiam Mysticam haberi & in S. Macario, tum ad defendendos Mysticos contra eorum accusatores, de novitate, deque miris ac inusitatis rebus & terminis: quoniam Auctor hicce, qui ob Sanctitatem perspectam omnium admirationem excitavit, seculo quarto vixit. &c.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F. I. N. I. S.

EPISTOLA

DE

PRINCIPIIS ET CHARACTERIBUS

MYSTICORUM, &c.

EPISTOLA

DE

PRINCIPIS ET CHARACTERIBUS

MYSTICORUM, &c.

MONITUM.

Neutiquam publico destinata erat hæc Epistola, at solummodo in gratiam pii cujusdam Viri, qui Auctorum quorundam Mysticorum characteres nosse cupiebat, conscripta; quibus tum & alios similes jungere consultum judicabatur. Postquam autem, ut in publicum eadem emitteretur, nonnullis e re fore visum est, revocata sub incudem ac duabus tertiis & ultra est adaucta. Qualis quidem conatus minime, ut spero, poterit displicere ulli sanæ mentis, qui serio expendit, tot extare Catalogos totque Indices, qui stupendam librorum humano ingenio consarcinatorum molem, interque illos copiosissimam Nugarum venalium segetem (queis mortalium mentes distrahuntur & cælestes Divini Amoris igniculi suffocantur) commemorant; adeoque haud incongruum esse, ut per quandam dissertatiunculam pariter confset, campos isthac zizaniorum confluge necdum adeo esse obteetos, quin adhuc, Deo sit laus, salutare hinc inde plantulae promineant, exiguus scilicet talium Auctorum numerus, quorum mentes, Dei Spiritu imbutæ Animas ad verum uniceque exoptandum finem reducere annituntur, nosque eadem opera efficaciter convincunt, Summum Nu-

MONITUM.

*men haud obscura postremis hisce temporibus
sui dedisse testimonia: quin perpetuo Bonita-
ti ejus placuisse, dulce cum Filiis Hominum
colere commercium, dummodo libera & a
terrestribus quisquiliis emundata corda sese
offerrent. Potuissent eorum Auctorum plures
commemorari, imo longe majori numero,
quam vel Sandæus, vel Cardinalis Bona, vel
alii quicumque descripserunt, nisi juxta sco-
pum propositum, saltem pro hac vice, ii,
quorum mentio facta est, sufficerent. Cæte-
rum illi, qui hujusmodi lectioni animum ap-
plicare volent, præ oculis habeant velim ea,
que in calce hujus Epistolæ dicta sunt. Faxit
Deus ut unice ea seligant, quæ ipsis quam
maxime poterunt esse salutaria! Valete.*

EPISTOLA

*De Principiis & Characteribus ,
quibus Præcipui ultimorum Se-
culorum Auctores Mystici & Spi-
rituales fuere instructi.*

I.

Non semel me instigasti ,
Domine ac Amice in Chri-
sto plurimum colende , ut
quædam ad te perscriberem
de argumento colloquii quondam nostri
quoad Actores , qui res mysticas &
spirituales tractarunt , quique cœlitus
illuminati creduntur. Jam ante mihi
dixeras , Illos tibi apparere nimis va-
rios nimiumque sibi invicem dissimi-
les , quum potius unanimis inter Ipsos
præsumeretur consensus. Circa quod
tibi inter alia tunc indicaveram , istam
varietatem nequaquam in fundamento ,
& primario subjecto hæere , sed esse
solummodo donorum & characterum
diversitatem , per quam Sapientiæ &
Gratiæ Dei , quam Scriptura S. *multi-*
G 3 *pli-*

Ephes. 3,
10.
1. Petr.
4, 10.

Plicem & diversam nominat, sese diversimode in variis subjectis manifestare lubuit; ut inde & in alias itidem diversissimæ constitutionis animas redundaret; dum interim hæcce characterum, & modorum varietas ad unum eundemque scopum rediret. Applicui tum hæc quibusdam hisce Auctōribus, qui præ aliis in mentem veniebant. Atque ibidem nos subsistere velle credebam, imo continue de isthoc argumento quicquam perscribere recusavi, tum tenuitatis meæ conscius, tum quod non nisi admodum imperfectas, & a reali Divinorum istorum Auctōrum Lumine valde remotas habeam ideas. Attamen non desinis rem urgere, & quo ipso effectu me eam suscipere cures, nominas mihi istorum Auctōrum circiter decem, quorum descriptione, prout eadem mihi in mentem inciderit, te penitus contentum fore affirmas.

Igitur, ut tibi satisfiat, rem nunc aggredior; & quum sancti isti Scriptores summo in pretio mihi sint, fortasse eo ipso impulsus & plures, & prolixius eorum dotes, virtutes ac libros, stylo quamvis tenui, exsculpere annitar. Et revera longe mihi gratissimum foret,

ret, (siquidem præter te ad aliorum quoque manus hæc Epistola pervenerit) illos qui hujusmodi argumentorum adhucdum sunt ignari, certiores fieri posse, ubinam talia quoad originem reperire ac cognoscere queant; porro alios, qui eadem æstimant, & imprimis qui iisdem afficiuntur, & ad bona solidiora per certas quasdam vias, magis quam per alias sese allici sentiunt, hinc ansam arripere ad seligenda ea, quæ sibi præ cæteris accommodata judicabunt e Mysticorum istorum Scriptis, eorumque characteribus. Horum enim numerus non nisi ob istam seligendi libertatem in medium producetur, minime vero, ac si quilibet omnes & singulos, vel maximam eorum partem pervolvere, mentemque illis occupare simul deberet; quæ quidem agendi ratio, non nisi confusos suggereret conceptus, & distractionibus animum obrueret potius, quam solida luce erudiret.

(2.) Omnes Auctores Mystici in sequentibus unanimiter conspirant. §. 2.

Scilicet, a Deo Opt. Max. nos esse eum in finem creatos, ut per intimam unionem Ipsi jungeremur, transformati ad

Ejus similitudinem, atque ut Ipse foret Omnia in Omnibus, juxta ipsius S. Scripturæ eloquium, Joñ. 17, 21. 1. Cor. 15, 28. 2. Cor. 3, 18.

Hoc quum non nisi virtute Domini-
ci Spiritus, eadem S. Scriptura teste,
fieri queat; Hominem seipsum cum u-
niverſa propagine ſua in interitum præ-
cipitaſſe quando propriis tum mentis
tum voluntatis viribus ſibi ipſi opem
ferre, ſeque propria methodo perfe-
ctum reddere conatus eſt.

Porro per hanc ſeparationem, qua
a Deo divulſus, ſibi ipſi & ſubjectis
creaturis adhærere voluit homo, eun-
dem tenebris, vitiis & corruptione
eſſe obrutum, adeoque a ſupremo fine
ſuo redditum eſſe omnimode alienum.

E qua malorum lerna ſolo Divini
Numinis auxilio ipſum poſſe eripi, at-
que in integrum reſtaurari in illo no-
biliffimum Dei opus, quod eſt ipſe
homo ſic a lapſu perditus, & miseria-
rum abyſſo immerſus.

Adque ad hoc exequendum Sum-
mam Bonitatem ſeſe cum Divinis ſuis
Operationibus Homini offerre; hujus
vero eſſe, Ipſi Domino operanti con-
ſentire, Gratiam oblatam acceptare,
ei-

eidem cooperari, seseque totum tradere; & hoc facto, Deum vim suam ei ingerere, ipsum purgare, illuminare, & ad unionem secum disponere, imo tandem actu ipso unire simulacere erit & prout perfectæ Sapientiæ lubuerit, transformando eundem ad imaginem suam, & per Spiritum suum secretis incrementis indies magis ac magis promovendo a gloria in gloriam, ceu loquitur S. Paulus.

Demum, Unionem & perfectionem ad quam homo in hac ærumnarum valle debet contendere, non esse Unionem aut transformationem plenam & fructivam, futuræ Vitæ prærogativam; at Unionem & perfectionem Viatorum, Fidei adhucdum obscuritate mixtam, quæ in quadam identificatione (si ita loqui liceat) Voluntatis cum Voluntate Dei consistit, in quam ea hominis adeo fit transformata, ut Deus dein ipsum formet secundum beneplacitum suum, sine ullo a parte hominis renixu: sive ipsum velit Deus relinquere in statu in quo hæret, aut eundem constituere in Crucis ac Privationis conditione; vel ipsi concedere ac dein retrahere plus minusve quosdam U-

nionis fruitivæ prægustus, & nonnulla extraordinaria Gratiaë dona, sicut Ipsi placuerit. Circa quæ omnia hominis est, Domino in totum relinquere modum agendi & disponendi, sine electione, aut ullo speciali Humano molimine.

Ecce concisam epitomen substantiæ Theologiæ Mysticæ; quæ in ipso fundamento eadem plane est, quam illuminati omnes Auctores inculcant quotquot scientiam istam Sanctorum explanarunt.

- §. 3. (3.) Hic vero mecum observes velim ea, in quibus illi a se invicem discrepant. Scilicet, insignis quod ad statum animarum nostrarum est varietas, æque ac in corporibus, in habitu, in impedimentis nostris, quibus diversimode operanti Numini restitimus, alio atque alio modo: temporum & locorum, in quibus vivitur, insuper diversitas, ac eorum, quibuscum degimus, non potest non esse tanta, ut ex hisce omnibus necessario sequatur, vias tam internas quam externas nequaquam posse esse easdem, per quas nempe e labyrintho obstaculorum expedimur, & secundum quas disponi & formari debemus

mtis ad Unionem Divinam denuo obtinendam. Deus, qui per cuncta mediorum genera mortales ad se revocare vult, qui solus & perfectus mentium arbiter, variam earum constitutionem, infirmitatem & captum pervidet, qui optime novit quænam ferre possint, quæque non possint, quibus indigeant, & qualia ipsis nocitura sint; per summam bonitatem vias & operationes suas statui cujusvis accommodare, & quemlibet ab ea parte, qua convinci & vinci potest, ad se allicere haud dedignatur, hunc per sensibilitates (quæ & ipsæ variæ sunt,) illum per privationes & ariditates; istum per non unius generis suavitates, alium per semitam asperiores; nonnullos per particularia lumina, alios per nudam plane fidem; quosdam per sensibiles Amoris illecebras, alios per timorum & desolationum flagella: Sunt in quorum mentes fortius sese effundit; alii, quorum imprimis voluntates inflammat, vel alias eorundem animæ facultates attingit; & sic infinitis aliis modis operatur. Et quum in hac mirabili diversitate nunquam non fuerint qui agenti Numini fideliter sese subjecerunt,

runt, ac proinde ad sublime luminum & gratiarum culmen ab Optimo Maximoque Gratiarum Auctore sunt evecti; que impulit postmodum eos, ut quilibet secundum viæ & experientiæ tramitem, per quem a Spiritu ductus, salutis suæ mirabilia describeret. Atque hinc diversissimi isti Mysticorum Scriptorum characteres sunt exorti, quorum nonnullos hic expromere decrevi, eo propemodum ordine, quo tibi eisdem mihi suggerere lubuit.

I. T A U L E R U S.

- S. 4. (4.) Hic sanctus & doctus Dominicanus docuit Coloniae & Argentorati, ubi & diem suum obiit Anno 1379. Habetur inter Mysticos pro Auctore quam maxime probato & primi subfelli, cujus sententiæ cum extrema veneratione omnes adstipulantur. Et revera, nemo bonorum eundem nosse poterit, quin mox ejus doctrina & sapiat ipsi, & penitus approbetur. Imo etiam quidam sapientiores e Protestantium numero, Doctor Arndius, Mullerus, pluresque alii, ne Luthero quidem & Melanchtone exceptis, præclara

clara ejusdem prodiderunt elogia, ne-
tquam inferiora iis Catholico-Roma-
norum, ceu patet in fronte Editionis
Germanicæ Sermonum ejus, quam
pientissimus Arndius in commune con-
tulit, item in Editione omnium Ope-
rum cura Celeberrimi D. Speneri, i-
terum iterumque (a) Francofurti im-
pressa.

(a) Ao.
1680. &
1692. &c.

Character illuminati hujusce Aucto-
ris, meo judicio, hic est. Urget nimi-
rum, ut Anima per affectuum & vi-
tiorum suorum mortificationem, per
virtutum praxin, per desertionem &
abnegationem sui, suarum cupidita-
tum, suæ voluntatis, amoris proprii,
imo omnis suæ activitatis, omnium-
que rerum creatarum, ad intimum suum
fundum revertatur, Deum ibi quæ-
rens, tandemque inveniens, qui sese
ibidem manifestat per nativitatem Ver-
bi sui Divini, & per afflatum S. sui
Spiritus: & ut deinde per continuam
& durabilem introversionem eadem in
hoc interiori statu sese conservet, quo
Deus voluntatem suam, suaque mira-
bilia & speciales regiminis sui modos in
ipsa exequi possit. De quibus tamen
hicce Doctor non nisi in genere differit.

(5.) Scri-

S. 5.

(5.) Scripsit Taulerus antiquo idiomate Germanico; quæ Editio rarissime invenitur. Surius eandem in Latinum sermonem vertit, plurimis vicibus impressam Parisiis & Colonia, ab anno 1552, usque ad annum 1615. quæ jam Originalis loco habetur. Extant ejusdem multifariæ Editiones Germanicæ tam per Catholico-Romanos quam Protestantes, Colonia, Basileæ, Hamburgi, Francofurti, Moguntia &c. in lucem emissæ. Idem fecerunt Belgæ; attamen vetus Editio Belgica Francofurtensis de 1565. est immutata; quemadmodum & illa, quam Serrarius Hornæ anno 1647. publica luce donavit; quamvis hæc plenior sit & consummatior quam ulla præcedentium. Omnibus Belgicis præferenda est Antwerpiensis 1685: cui tamen desunt *Institutiones* ejus, ut & *Epistolæ ac Exercitia circa Passionem Christi*; quæ separatim inveniuntur, *Institutiones* nempe & *Epistolæ* sub titulo, *Medulla Animæ*, cujus vetus quædam editio Gallica extat, at obsoleta, ex quo nova & pulcherrima versio comparuit, tum *Institutionum* ejus, Parisiis anno 1668. impressarum, tum *Exercitiorum* circa Passio-

sionem, quæ ibidem sequenti anno junctis *Exercitiis* pii *ESCHII* circa Viam purgativam, illuminativam, & unitivam, impressa sunt: Pater Mabillonius in Catalogo, ad finem Gallici tractatus sui de Studiis Monasticis, inter spirituales Libros in Gallicum translatos *Opera Tauleri* collocat. Nunquam *Sermones* ejus Gallica lingua conspexi, qui tamen inter *Opera* ejus primas tenent; multo minus ipsius tractatulum *de Paupere Vita Jesu Christi* Gallice reperiri certum, quippe qui deest in Latina translatione Surii, nec nisi Germanice & Belgice unquam prodiit. Tractatus ejusdem *de Contemplatione* non occurrit (a) nisi in Editione Germanica D. Speneri, qui primus eandem publico dedit, Francofurti, 1692. *Exercitia* ejus *de Passione Domini* (a quibus conversionem suam exorsus dicitur) seorsum Latine prodierunt Coloniae, anno 1625. in 12^o.

(a) Imo consultata Editione Hornana anni 1647. illic eum reperi a P. Serrario Belgice conversum ex editione Germanica, ut ait, a Daniele Soeterman anno 1621. publici juris facta. Id quod Editorem Francofurtensem latuit.

(6.) *RUSBROCHIUS*, coævus & ex parte Magister Tauleri, ejusdem atque hic propemodum est characteris, imo subinde & sublimior & methodice magis procedens. Erat sanctus Canonicus ac Prior Monasterii Viridis vallis prope Bru-

§. 6.

Bruxellas, illiteratus quidem & magnæ simplicitatis, at simul admirabili vitæ sanctimonia præditus, sublimisque contemplator; unde per viam experientia & infusionis profundissimam & originariam universæ Theologiæ Mysticæ notitiam acquisivit, plurimorumque in ea ductor extitit. Non habentur ejus Opera nisi Latine versione Surii, excepto insigni ejus libro *de Ornatu Nuptiarum Spiritualium*, qui nonnunquam antiquo idiomate Belgico occurrit, & unum ex optimis ejus est Operibus. Excusa sunt ter Coloniae, scilicet annis 1552, 1609. & 1692. Qui rerum typicarum allegoricas interpretationes quærunt, abunde eas invenient in ejusdem *Commentario in Tabernaculum fœderis*, aut in Leviticum. Audio, jam (Aº. 1701.) Germanicam hujusce Auctoris Editionem parari.

- S. 7. (7.) P. JOANNES EVANGELISTA, Capucinus Lovaniensis, non longe abest a charactere Tauleri in excellentissimo tractatu suo de *Regno Dei in Anima*, qui tam familiariter, tam exacte, & methodo tam genuina & concinna est conscriptus, ut cuivis etiam mediocri ingenio pro introductione ad intel-
li-

ligentiam rerum mysticarum quas admirandis & facillimis similitudinibus explanare possit. Liber hicce Belgicus est, aliquoties impressus Antwerpiae ab Anno 1639. (ipso Auctore tum adhuc vivente) ad annum 1686. Extat etiam Germanice ab anno 1665. Postremæ autem Editiones Francofurtenses Annorum 1690. & 1692. auctæ sunt altero tractatu de *Separatione Animæ & Spiritus*, quem Professor Lovaniensis (*Libertus Fromondus*) jam antea Latine publica luce donaverat, junctum suæ *Explicationi Cantici Salomonis*. Hic vero tractatus repetita potius summorum primi ejus libri capitum videtur commemoratio ac deductio, speciatim de elevatione animæ supra seipsam; quam continuatio ejusdem libri, quicquid de eo titulus præ se ferat. Nil horum hucusque Gallice prodiit. Illud imprimis notabile in Authore isthoc occurrit, quod nullibi in toto ejus libro ulla deprehendatur vox, quæ directe aut indirecte ad controversias, queis Christianorum Scholæ & Tempora strepunt, pertineat; adeo ut nemini non lectio ejus sit sine offendiculo salutaris. Imo dicitur, e Protestantium cœtu esse,

H qui

qui iteratam istius impressionem promoverunt, tum Amstelodami, tum Flissingæ, 1666. tanti ipsum æstimant, nec sine causa. Ejusdem libellus quidam posthumus habetur *de Eucharistia, e Belgico in Gallicum versus, & Bruxellis Anno 1662. excusus.*

Nihil in medium proferam de pluribus aliis Tauleri characterem gerentibus, præterquam de Harphio.

II. HENRICUS HARPHIUS.

- §. 8. (8.) Hic Auctor, quem numero eorum qui characterē Tauleri præditi sunt, mox accensebam, meretur omnino specialem Articulum. Apprime cum Taulero congruit; attamen exactiorem tenet methodum, particularia magis attingit, & longe altius progreditur: imo fateri oportet, ante ipsum, & forte etiam post ipsum, neminem adeo feliciter sicut ipse, status internos eorumque profunditatem in anima Deo dedita penetrasse; ubi satis apparet, Rusbrochium notabile ipsi adnuculum suggestisse. Ejusdem character est, depingere gradus Resurrectionum, seu, ut termino interpretis ejus utar,

utar, *Consurrectionum*, quantum ad diversos Vitæ spiritualis status in Anima omnimode probata & depurata. Ostendit, quo pacto post non unius generis mortificationes, purificationes, & probationes animæ, excitentur in illa gradatim novi Divinæ Vitæ status, primo activæ, deinde passivæ, in inferioribus Animæ facultatibus, ac postmodum in superioribus (memoria, intellectu & voluntate:) porro in intima ejus Essentia, & tandem supra ipsam & Facultatum ipsius operationes, dum Tres S. S. Trinitatis Personæ eandem possident, ibique per adorandos effectus sese exerunt. Systema hoc est Theologiæ Mysticæ tam egregium, tam essentialiale, tam consummatum & profundum, atque unquam comparuit.

Hoc vero ut constet, minime oportet adhærere ordini quo Editores Opera ejus Mystica non satis attente publicarunt. Conspecto enim communi titulo hoc, *Theologiæ Mysticæ Libri Tres*, non potest non totum hoc censerî unicum Corpus Theologiæ divisum in tot libros, tanquam in suas totidem partes: quum tamen hæ sic dictæ partes

potius tres diversissimi Libri sint, atque eorum quilibet per se integer & completus. Primus, cæteris proluxior, multo magis est moralis quam mysticus, & vix nostri hujus argumenti: Secundus autem & Tertius proprie Mysticis sunt accensendi; & insuper in Secundo (qui inscribitur *Directorium Contemplativorum*) oportet lectionem patienter continuare usque ad Cap. 25. (veterum Scilicet Editionum) ubi recta via in imos argumenti sui incipit penetrare recessus, usque ad finem. Tertius ejus Liber, itidem in se perfectus, titulo, *Eden Contemplativorum*, longe citius Mystica aggreditur. Repetit ibidem illa ipsa quæ in Directorio occurrunt, adjiciendo tamen nova & memoratu digna; & consummata serie exponit ea de quibus hætenus non nisi obiter differuerat, plurimis Doctorum & Sanctorum locis dicta confirmans. Recensentur insuper multa alia ejusdem Scripta, quæ tamen vix inveniuntur, neque cum illis quæ notavi, comparari solent.

S. 9. (9.) Erat Harphius Custos (quem Guardianum communiter nominant) Franciscanorum Strictæ, ut vocant, Obser-

Observantiæ, Mechliniæ ante ducentos, & amplius annos vivens. Mystica ejusdem Theologia prodiit in lucem Latine, & prima quidem vice Coloniae, Anno 1538. postmodum vero, Anno 1556. P. Mabillonius recte judicat, hæc Editiones ob integritatem omnibus aliis esse præferendas; quamvis hæc postmodum per Inquisitionem fuerint prohibitæ, haud quidem ob mystica dogmata, sed ob tres quatuorve lineolas quæ ineptitudinem Directorum & Spiritualium istius ævi eloquuntur. Dixerat Auctor cap. 12. Directorii sui, perfectos, aut eos saltem qui a Spiritu Dei adeo aguntur, ut ipsos Sanctum ejus impulsu unice sequi oporteat, non indigere humana Directione, sive, *istis non esse necessarium sub obedientia stare & regi*, adjectis hæc verbis: *Præsertim temporibus istis in quibus communiter omnes superiores qui alios regunt, magis ad exteriora quam ad interiora dediti sunt, ita ut valde parum aut nihil de interna vita percipiant; & ideo subditis suis, qui a Deo ad internam Vitam trahuntur, potius impedimento sunt quam auxilio. Et hæc est causa quare inter Religiosos adeo magna acedia est & immortificatio, quia*

regimen non ordinant ut interna ac proficiens Vita exigit. Hic textus (qui & legitur in originali Belgico Antuerpiæ Anno 1502. emisso) ipsum reddidit inuisum; quem & e Romana Editione 1585. ac e Coloniensi 1611. itemque aliis eliminarunt: ut & e Gallica versione, ubi & translator deleuit verbum Auctoris, (a) *Creatura* scilicet *æternæ*; quod ipsius captum superabat.

(a) *Lib. 3. cap. 21. omnium qui (vel quæ) sumserunt originem in tempore & in æternitate. Postrema hæc verba in Versione Gallica sunt omis- sa.*

Opera Mystica Harphii nostri Gallice evulgata sunt, Parisiis Anno 1616. versione Domini de la Mothe-Romaincourt Consiliarii Regii; at cum dictio hæc vetus sit, nova Translatio, ad minimum *Directorii*, optimi ejusdem Tractatus, jam admodum foret opportuna. Ultimus hic Tractatus etiam antiquo, ut dixi, idiomate Belgico & quidem titulo *Speculi Perfectionis*, invenitur, imo & idiomate Germanico, at rarius tamen. Insigniter hic Scriptor sese opponit *Amori propriae quæstionis*, respectu eorum qui ad perfectionem tendere allaborant.

III. JOANNES a CRUCE.

S. 10.

(10.) Quod ad sublimitatem, ejusdem plane

plane cum Harphio ordinis est JOANNES a CRUCE; imo hic illi haud parum antecellit in iis quæ huic propria sunt. Scopus ejusdem est, extollere puritatem Animæ, suggerens nobis specimen aliquod suavissimi Supremæ Majestatis cum emundata Anima commercii. Præter Viam activæ purificationis (quam methodo valde ad expurgandam Eruditorum ad Cœlestia aspirantium mentem accommodata describit), eandemque in quantum per Virtutum praxin efficitur, (ubi vult ut quis perpetuo & abjectiora & duriora amplectatur) singularis Joannis a Cruce character est (1.) Animæ & Facultatum ejus nuditas tam universalis, ac eo usque sese extendens, ut etiam affectum omnem retrahat ab omnibus sensibilibus & specialis Gratia Divinæ donis, quæ Summa Bonitas non raro Scholæ spiritualis tyronibus impertit, sive per sensum, sive imaginationis, aut aliarum facultatum canales affluant; exceptis solum Verbis & attactibus Dei substantialibus. Præ omnibus aliis Auctoribus hic imprimis Animam munit contra omnis generis illusiones spirituales, qualescunque etiam sese obtulerint; adeo

ut qui ejusdem principia observaverit, non possit non in semita Spiritus tutissime incedere procul omni deceptionis periculo, idque per puritatem nudæ Fidei, Spei & Charitatis. (2.) Alius adhuc sublimis hujus Auctoris Character reputari debet Purificatio passiva & terribilis tum Animæ tum Spiritus, five proxima præparatio ad Unionem cum Deo, quam purificationem longe profundius, exactius, & tam insigni vivacitate in sua *Nocte Obscura* eruit, ac unquam quisquam fecit. (3.) Tertio ad Characterem ejus refero, quæ in *Viva Amoris Flamma* de Unionem Divina Eiusdemque admirandis memorat, modo magis particulari & longe mirabiliori atque ab ullo alio factum; sicut & in *Cantico Sponsi Divini & Sponsæ* de diversis processibus & amabilis commercii vicissitudinibus, itemque amaris probationibus, quæ inter Deum eveniunt, & Animam Ipsi junctam, quæ tamen hac in vita a Deo diversimode exerceri debet ob rationes Ipsi Sapientissimo Numini cognitæ. Hoc mirabile Canticum composuit Auctor per vivam experientiam, quam sensit in angusto & crudeli carcere, cui persecutores, proprii

prii ejus sodales, ipsum incluserant, & e quo dein miraculose fuit eductus.

(11.) Hic profundus, realis & solidissimus Scriptor res ita tractat, ut fatis liqueat, ipsum ex origine Cœlesti & experientia loqui, unde & lectorem attentissimum reddit, eique venerationem inspirat haud exiguam. Scripsit Hispanicè, quum fuerit Carmelita discalceatus istius Nationis & Coadjutor S. Theresiæ, illo ævo, quo per notabilia schismata Ecclesiæ Corpus est divulsum, quæ adhuc hodie mutua dissidia foveat. Vita Joh. a Cruce, cujus extat & Epitome, & prolixior descriptio, clarissime Angelicam ejus puritatem detegit; prærogativam, quæ ipsius Operibus maximum pondus addit. Reperiuntur hæc in Latinum Sermonem translata & edita Coloniae 1639. Germanice Pragæ 1697. & alibi aliis linguis. Habentur duæ versiones Gallicæ, una vetus, Parisiis quater vel quinques impressa, & ultima vice Anno 1665. cui annexus est alius cujusdam Religiosi tractatus *de Unione Anima cum Deo*; quem tractatum ipse tanquam necessarium supplementum Operum Auctoris nostri venditat; quamvis hocce additamentum non sit nisi a-

§. II.

rida offa scholastica, quæ in novissima
 Versione merito est omiffa. Hæc fecun-
 da Versio Parisiis Anno 1694. in publi-
 cum emiffa per P. Maillardum e Soc.
 Jesu, puriffimo stylo est exarata, lon-
 geque majori perspicuitate, & felicio-
 ribus terminis res non paucas exprimit
 quam vetus editio. Veruntamen in qui-
 busdam locis Translator sensum verbo-
 rum non satis percepisse, atque hinc
 inde eundem infirmasse videtur, quod
 non paucas Auctoris expressiones, mo-
 dernis Anti-Mysticis immerito suspectas
 omittendas crediderit: Insuper hoc in
 versione hac reperitur incommodum,
 quod Translator textum hinc inde ni-
 mium castraverit, sub prætextu evitandi
 repetitiones; fortasse autem ad suppri-
 menda simul non paucis nunc invisa lo-
 ca, haud dissimilia illi quem in Harphio
 expungere haud dubitarunt; de quo
 explicatio tertii paragraphi in Cantico
 vivæ Amoris flammæ posset suppeditare
 exempla. Propterea illi qui Aucto-
 rem hunc omni ex parte integrum desi-
 derant, oportet ut priores Editiones
 seligant; tanto magis quod in his inve-
 niantur *tres dissertationes, & duo libri vel
 due partes illustrationum,* tum Theolo-
 giæ

giæ Myſticæ ; tum phraſium aut terminorum ejus , & imprimis Auctoris noſtri : quæ quam maxime faciunt ad horum argumentorum elucidationem , & plurimas difficultates removent , tam per rationes , quam per abunde allegatas auctoritates , ad præveniendam nonnullorum infirmitatem , vel aliorum quorundam malignitatem , qui perverſum textui ſenſum affingere poſſent. Interim ultima Editio Gallica aliud in ſe gerit commodum ; ſcilicet extat ibi in fine utiliffimus Catalogus omnium Sententiarum ſpiritualium Auctoris noſtri , quæ ex omnibus ejusdem Operibus circa quælibet argumentorum genera ſunt collectæ.

(12.) Quum poſtremis hiſce temporibus Theologiæ Myſticæ inſigne pondus & notabilem lucem addiderit hic Scriptor , non pauci eorum qui de ea quicquam protulerunt , ejusdem Divinis luminibus edita ſua exornarunt , quorum alii Johannem a Cruce nominarunt , alii de eodem plane conticuerunt. Ecce quosdam qui hoc reſpectu ipſius characterem plus minusve referunt.

JOANNES a JESU-MARIA , in
ſua

fua *Theologia Mystica* Latine conscripta, & Coloniae 1611. edita, sicut & alia ejus opera, ann. 1622. 1644. Illa in Gallicum versa est per antiquum Operum Joh. a Cruce Translatorem, & edita Parisiis Anno 1666.

§. 13. (13.) THOMAS a JESU, cujus Latinum Opus de *Oratione Divina* Antwerpiae Anno 1623. impressum, est quasi Systema aliquod Theologiae Mysticae juxta tres vias dispositum, Purificationis nempe, Illuminationis & Unionis; atque variis plurimorum spirituum Auctorum allegationibus suffutum. Idem hic alium adhuc de *Contemplatione* Latinum tractatum publico dedit, ibidem excusum Anno 1620, ubi argumentum suum exacta serie pertractat, & multis auctoritatibus confirmat. Reliqua Operum ejus non sunt ejusdem notae.

§. 14. (14.) CONSTANTINUS DE BARBANSO, Capucinus, doctrinam Joannis a Cruce satis profunde imbibisse videtur, praesertim quoad rigidam Purificationem, in exiguo & praclaro tractatu suo de *Semitis occultis Amoris Divini*, qui eodem fere tempore, Gallice, Latine & Germanice in lucem pro-

prodiit, ac nuperrime denuo Latine sub incudem revocatus nitido caractere, titulo: *Vera Theologia Mystica Compendium, sive Semita occulta Amoris Divini*, Amstelod. 1698. quod revera pro Systemate quodam Mystico admodum ordinato haberi debet. Nusquam ejusdem *Anatomiam Anima*, Leodii Anno 1635. gallice impressam, quæ maximi fit, videre licuit. Est hic Auctor expertus, penetrans, sublimis, concisus, & longe utilissimus.

(15.) Inter Mysticos Scriptores, qui cum notabili fructu Opera Joannis a Cruce evolverunt etiam numerarem P. VICTOREM GELENIUM, Capucinum Trevirensis, nisi in Latino suo Tractatu, qui inscribitur, *Summa Practica Theologiae Mysticae*, Coloniae Annis 1646. & 1652. impresso, voluisset indiscriminatim variorum Auctorum spiritualium lumina mutuari, ut in publicum expromeret Systema quam maxime universale & amplum, quale de materiis mysticis necdum comparuerat, tam quantum ad theoriam quam quantum ad praxin attinet.

(16.) Iisdem ratione substantiæ principiis innituntur, perque easdem vias & ad eundem cum Auctore nostro scopum

§. 15.

§. 16.

126 *De Auctoribus Mysticis,*

pum tendunt, eodem Spiritus instinctu, parva Compendia *de Perfectione Christiana, & de Interiori Abnegatione, sive, de Ruina Amoris proprii*, seculo superiori Italice scripta, variis deinde linguis in publicum emissa, & denuo in Belgio Gallice recusa Annis 1690. & 1696. in primo Volumine Collectionum, titulo, (a) *Theologia Cordis*. Vix invenies quicquam quod eam vim, istum ordinem, præstantiam, & circumcisam concinnitatem præ se ferat, quibus istud insigne & admirandum libellorum par instructum esse animadvertes; cujus Auctorem si requiras, Fœmina esse creditur; quamvis Editio Italica Coloniae Anno 1642 divulgata, & Nuncio Chisio, (qui ipse dein Papa Alexander VII.) inscripta, primum horum opusculorum (quod etiam Latine, imo & Belgice extat, Roterodami 1674. titulo, *Praxis tendendi ad summam perfectionem*) Achilli Gagliardo e Soc. Jesu tribuat, contra aliorum sententiam, & contradicente Parisiensi Editione Anni 1598. Duo hi exigui tractatus, & imprimis postremus, haberi possunt pro Compendiolis Systematicis Theologiæ My-

(a) *La
Theologie
du Cœur.
&c.*

Myfticæ & solidioris, & ad praxin accommodatiffimæ, atque ab omnibus tum illufionum nebulis, tum omnis generis adverfariorum disputandi libidine flagrantium tricis remotiffimæ.

(17.) Tandem in medium produco §. 17.
 Auctorem, imo originarium & vividum exemplar Characteris J. a Cruce circa purificationem paffivam & severam, MATTHÆUM fcilicet WEYERUM, laicum, Anno 1560. Vefaliæ e cœtu mortalium sublatus, qui, dum vixit, in fpiritualibus anxietatibus dies fuos tranfegit, mente cœlitus illuminata, ceu clariffime apparet ex ipfius *Epiftolis* cor intime afficientibus, & *divinorum ejus eloquiorum* Compendio; e quibus videre eft, quâ cuncta ea quæ hominis ejufdemque potentia funt, actusque & omnis proprietas, tandem in Judicium prolabantur & concidant coram Juftitia Divina ante perfectam purificationem & justificationem hominis; ut nihil dein fuperfit, in Nova Creatura, nilque coram Deo & in æternitate fubfiftat, nifi merum Summi Numinis Opus, atque nulla Caro, fecundum Scripturam, coram ipfo gloriari poffit; foli vero Supremæ Ifti Majeltati
 omnis

omnis honor & gloria in æternum tribuatur. Vetus dictio primæ Editionis Belgicæ hujusce Auctoris, Francofurti Anno 1597. impressæ, ornatior compareret in secunda Amstelodami Anno 1652. in lucem emissa, quæ rarius nunc invenitur. Perperam vero ibidem inserta legitur (quamvis in parentesi) nota marginalis plane erronea pristini Editoris, qui alibi mentem habuit, quum Auctoris censoriam quandam castigationem applicuit cuidam per D. J. (a) expresso, de quo tamen Auctor neutiquam cogitavit, & cui castigatio isthæc minime erat accommodata. Opusculum hoc versum & editum est Germanice Amstelodami Anno 1658. eodemque tempore Latine titulo, *Theologia Mystica praxis viva, sive MATTHÆI WEYERI Effatorum Libri tres &c.* Verum Latinus Translator subinde Auctoris sensum perperam intellexit. Audio præclarum hunc libellum nuperrime Londini Anglice in lucem prodiisse; Gallice necdum comparuit.

(a) Vide
infra §.
59.

§. 18. (18.) Epitomen Viæ hujus Weyerianæ continet *Epistola* Virginis cujusdam *de Regeneratione*, quam junctam invenies recenti Gallicæ Traductioni Theologiæ
rea-

realis aut Germanicæ, quæ Epistola bis Belgice Amstelodami edita est Annis 1677, & 1688. brevis quidem mole; sed rerum pondere eximia.

IV. Sta. THERESIA.

(19.) Quæ Joannes a Cruce docuit modo theoretico secundum viam Intellectus, imo, aliquatenus scholasticam; ea ipsa practico modo comprehenduntur narrationibus & productionibus propriæ experientiæ, methodo penitus affectiva Viamque Cordis respiciente, in Scriptis Stæ. THERESIÆ; §. 19.
cujus characterem judico, quod sine ullius methodi affectatione (licet interim haud careat ordine) loquatur & scribat e mero sensu & motu animi, amoris, humilitatis, & juxta vivam experientiam quam in rebus spiritualibus & supernaturalibus habuit. Urget Ipsa præprimis viam Orationis, tam activæ, quam ejus quæ quietis dicitur, quæque & passiva, supernaturalis atque unitiva est; memorat ejusdem gradus, & infinitum ac ineffabile gratiarum flumen quo Optimus Maximus perfundit animas, quæ illi sese consecrare annituntur. Expressiones ejus hu-

miles, efficaces, & Dei spiritu ferventes, tenerrime afficiunt eorum corda qui vel aliquam versus Deum proclivitatem fovent, excitant in his amorem Dei, & profundam animabus imprimunt erga Divinam Majestatem, & Sacratissimam Humanitatem Servatoris, venerationem, cum singulari stupore ob gratiarum, & operationum ineffabiles Altissimi thesauros in animis illorum, qui sincere Ipsi sese dedunt.

- §. 20. (20.) Notissimum est hanc primi ordinis Sanctam fuisse Carmelitam in Hispania; cujus statum satis detegunt libri ejus, quibus ipsa magnam *vita sue* partem descripsit, at cujus historiam completam Episcopus Taraconensis, & P. Ribera, quilibet separatim, publico dederunt, Hispanico idiomate, unde & in Gallicum utraque conversa est. Versi sunt & ex Hispanico ejusdem Sanctæ libri in omnis generis linguas, & editi Latine quidem Coloniae Anno 1626. ac ibidem Germanice Anno 1686. ut & Herbipoli, Anno 1649. &c. Inter plures Versiones, quæ Gallice extant, recentissima & optima est illa Dn. Arnaldi d'Andilly, multoties Lutetiæ Parisiorum impressa, & ultimo (Ann. 1688.)
- Ant-

Antwerpiæ, tribus parvis voluminibus, queis annexæ sunt *Epistolæ* antiquiores Sanctæ hujus, quibus carebant Editiones Parisienses, at quæ nimis obrutæ sunt Notis Episcopi Osmensis: *Antiquiores* voco has *Epistolas* respectu illarum, quæ haud ita pridem Antwerpiæ Anno 1698. duobus tomis (Gallice,) in manus hominum venerunt, nec adhuc lucem viderant. Inter ejus Opera, illud quod inscribitur *Castellum Anima*, præ aliis est sublime: *Tractatus de Via Perfectionis*, omnium maxime familiaris & utilissimus: *Vita*, quam ipsamet descripsit & *Exclamationes* ejus, altius quam ulla alia, Cordis intima tangunt: *Epistolæ* & *Fundationes*, cum singulari jucunditate leguntur.

(21.) Inter eos, qui Characteri S. Theresiæ quam maxime appropinquant, imprimis memoranda S^{ta}. GERTRUDIS, nequaquam illa Brabantina, quæ seculo vixit septimo; sed quæ in Germania vixit, Comitissa a Nativitate; & quæ quingentis circiter abhinc annis Abbatissa fuit Religiosarum Ordinis S. Benedicti in Diœcesi Halberstadenfi. Scripsit illa ipsa Latine. Crediderim per titulum, *Vitæ* & *Revelationibus* ipsius

§. 21.

præfixum, nimirum *Insinuationes Divinae pietatis* (non semel Coloniae, sicut & Parisiis atque Saltzburgi Anno 1662. excusæ) significari, quod ipsa revera Cordibus insinuaret pietatem plane divinam & Amoris ardorem singularem erga Majestatem Numinis, ceu imprimis e secundo illarum *Insinuationum* libro constat; ubi Conversionem suam & partem Vitæ suæ describit ipsa eo pacto, ut non imitari solum, verum & superare videatur S. Augustinum in Confessionibus suis. Ejusdem *Exercitia Amoris Divini*, quæ preces sunt proprio ejus usui pro singulis Septimanæ diebus destinatae, singularem quoque vim spirant. Verterunt ea ex Latino & Gallice evulgarunt Parisiis Anno 1672. & Anno ante ut & 1687. Ejus *Insinuationes*, at sub titulo, *Vita & Revelationes S^{tae}. Gertrudis*, quem titulum Versio Germanica Coloniensis Anni 1674. itidem assumpsit. Translator, cætera Gallus, quamvis facundus, tamen non ubique satis affecutus est mentem sanctæ hujus animæ, quæ inter omnes, quæ tum vixerunt, purissima creditur.

§. 22. (22.) Hujus Sanctæ descriptio ansem mihi dat de alia ejusdem nominis piissima

ma Virgine cogitandi, quæ scripsit *Confessiones Animæ amantis*, eodem caractere, intime afficientes, & mire efficaces ad emollienda & accendenda in Amore Dei pectora.

Est hæc GERTRUDIS MORA, e stirpe celebris illius Cancellarii Anglici ejusdem nominis, olim Religiosa Cameracensis, cujus libellus Anglice est excusus Lutetiæ Parisiorum, 1658. & nunc, ut audio, Germanice versus prodibit.

(23.) Eodem Theresiano caractere omnimode præditam observo CATHARINAM, de *Senis*, seu *Senensem* dictam, quod ibidem circa medium Seculi decimi quarti nasceretur. *Meditationes* ejus in *Passionem*, cum *Vita* ejusdem per *Confessionarium* ipsius editæ; *Sex Dialogi*, quos ipsamet dictavit (impressi Latine Ingolstadii Anno 1583.) & qui imprimis tractant de *Doctrina Christiana* quoad *Restorationem* hominis, de *Amore Dei*, de *Lachrymis pœnitentiæ*, de *Ecclesia* & ejus *Ministrorum corruptione*, de *Providentia Dei*, ac de *Obedientia*; Ejusdem *Preces*, istis junctæ; *Epistola* ad omnis generis homines perscriptæ, Gallice Parisiis in lucem emis-

§. 23.

ſæ Anno 1644. tandem veneratio, imo vero ſubmiſſio & obedientia quam ipſi præſtitit univerſus pene Chriſtianus Orbis haud exceptis ipſis Pontificibus, Regibus, Magnis parviſque, eruditis ac non eruditis, (licet ipſa ſimplex Virguncula in flore ætatis vix triginta annorum extincta) abunde commonſtrant a Summo Numine donum ipſi fuiſſe conceſſum commovendi animos & inflammandi deſideria per ſacros ardores & cœleſtis amoris ignes, quibus ipſa in intimis medullis flagravit.

ſ. 24.

(24.) In operibus *Ludovici de Blois*, (qui vulgo dicitur *Bloſius*, Benedictinus, Abbas Lætiensis, & abhinc ſeculo & ultra vixit) idem Spiritus idemque character comparent, ad accendenda veræ pietatis & ſanctimonix igniculis pectora; unde & ſemper, quoties mentio ejus fit, Pii nomine inſigniri ſolet. Collecta & edita ſunt non ſemel Latine Antwerpix; & varii eorum tractatus in varias linguas ſunt tranſlati.

Contemplationes Amoris Divini RAIMUNDI JORDANI (qui dictus *Idiota*, & cujus omnia opera Pariſiis anno 1654. in 4^o. prodierunt,) manifeſte eundem plane tenent characterem, æque ac illi,

li, quibus communiter junguntur, libelli, scilicet, *Soliloquia*, *Meditationes*, & *Manuale* quæ nomen S. Augustini præ se ferunt; e cujus *Confessionibus*, sicut & illis ALFONSI de OROSCO, Ecclesiastæ Caroli Quinti, idem humilis & fervidi amoris character elucet. Postremæ hæc ex Hispanico in Gallicum sunt translatae & editæ Antverpiæ, 1643.

Taceo non paucos alios; quorum tamen nonnulli in sequentibus articulis opportune commemorabuntur.

V. Sta. CATHARINA GENUENSIS.

(25.) Illustris & Sancta hæc Matrona e Nobilissima Domo Fiescana, Vice-Regis Neapolitani Filia; adeo, quamvis Marito juncta, in diviniis excelluit, adeo spiritualis ac perfecta Dei amans fuit, ut a longo tempore similem in Orbe terrarum extitisse neuti-
quam probabile sit. Character ejus est Amor quidam Summi Numinis tam purus, tam excelsus, tam fortis, tam singularis, ut respectu hujus nil occurrat neque in exemplis, neque in scriptis

§. 25.

Sanctorum & Doctorum, quod sublimitatem & vim purissimi hujusce Amoris attingat; qui postquam ipsam uno momento perfecte penetravit & convertit, flagrabant inde & anima & corpus ejus per totum vitæ suæ tempus, sic ut nil respiraret, nil ageret, nil diceret, nihilque scriberet, nisi Amorem omnimode purum & incomparabilem.

- §. 26. (26.) Videmus in ipsa ejusdemque scriptis, qua ratione nobilis & purus hicce Amor, Deo solique gloriæ Divinæ unice intentus, in se solo omnia comprehendat, & supremum finem, & omnes vias, omniaque media ad assequendum perfectionis culmen. Ostendit, quomodo e scaturigine Amoris dimanent corruptionis nostræ & infinitæ malignitatis, itemque nostri nihili, extremæque nostræ ad bene agendum infirmitatis cognitio & agnitio; ea item miræ absurditatis vanæ gloriæ; tum sui ac omnium abnegatio, perfecta contritio, horror peccati, mortificatio & sanctificatio corporis, animæ & spiritus; acquiescentia in Justitia Dei, consummata patientia, charitas & misericordia vividissima erga proximum, & alia

alia ejusdem generis , quibus obstricti sunt omnes ii qui ad æternam beatitudinem aspirant. Elicit & ipsa hinc inde ex eadem origine mille egregia & convincentia lumina circa difficillima & maximi momenti Theologiæ argumenta , de Incomprehensibilitate Dei & ejus Amoris , de Attributis ejusdem Potentiæ , ejusdem Sapientiæ , Bonitatis , Misericordiæ , Justitiæ ; de modo quo eadem respiciunt creaturas tam bonas quam malas : de Gratia , hujus præveniente appulsu , universalitate , modo operandi ac ipsimet resistendi , ejusdemque efficacia ; de Libero Arbitrio , de potentia & impotentia hominis , coöperatione ipsius cum Deo in negotio salutis suæ ; tandem , de tota Theologia Mystica , hujusque viis purificationis , illuminationis , annihilationis potentiarum , unionis , transformationis , & Deificationis. Quæ omnia sunt effluvia & fervidæ irradiationes purissimi Amoris Spiritus Dei , qui ipsam occupaverat totam & regimine suo ducebat.

(27.) Opera sanctissimæ hujus Fœminæ , quæ ante duo secula Genuæ vixit & obiit , versa sunt ex Italico in Gal-

§. 27.

licum & centum fere abhinc annis evulgata Parisiis per Patres Carthusianos de Bourg-fontaine; postmodum denuo excusa aliquoties Parisiis & Lugduni, donec Anno 1667. stylo eorum emendato iterum Parisiis prælo subjicerentur, attamen magis quam decebat mutilata & immutata: cui defectui remedium afferre annititur nova Editio, quæ nuper in Belgio prodiit sub titulo, (a) *Theologia Amoris, seu Vita & Opera S^æ. Catharinae Genuensis* 1691. Quæ *Vita* (Opus Confessionarii ejus) in tres Partes est divisa, quæ sunt, primo ejusdem Conversio, dein Discursus & Colloquia, ac tertio, Postremæ Horæ. Trium ejus *Dialogorum* (qui Germanica lingua in publicum emissi sunt cum Vitæ ejus Compendio, Halæ 1701.) argumenta sunt, Primi, Lapsus Animæ, ejus Conversio & Purificatio Activa per infusionem Amoris: Secundi, Purificatio passiva Animæ & Spiritus per novas ejusdem Amoris infusiones; Tertius plures continet quæstiones Animæ & responsiones Dei de natura, causis, operationibus & effectibus puri istius Amoris Dei: e quo principio ipsa etiam separatim depingit naturam Purifica-

(a) *La
Theologie
de l'Amour
&c.*

tionis animarum post mortem. Quæ omnia consummatissima soliditate mentem intime afficiente proponit.

(28.) Quamvis admirabilis hæc Sancta, in hoc genere unica sit, nilque ejusdem Scriptis comparari queat ad animos Divini Amoris igne inflammandos, tamen *Sta. Catharina Senensis*, quam mox ante descripsimus, maxime omnium ejusdem caractere pollet: præ aliis vero Nobilis & Sanctus ille Britannia minoris Cæcus, JOANNES a S. SIMSONE, Carmelita discalceatus, qui obiit in civitate Rhedonensi Anno 1636. postquam sexaginta propemodum de variis Argumentis Tractatus spirituales & mysticos in calamum dictaverat, quorum tamen duo solum, (quod sciam) volumina in quarto huc usque typis sunt excusa; Primum, quod *Vitam ejus & Principia*, atque alios quosdam Tractatus continet, Parisiis Anno 1651. ac Latine Lugduni Anno 1655. Secundum, Anno 1654. de novo cum primo impressum. Ultimum hoc ejusdem *Contemplationes* circa omnia salutis Mysteria memorat, junctis quibusdam aliis opusculis; quæ sicut reliqua omnia, non sunt nisi rivuli vel flumina infi-

§. 28.

infi-

infiniti Amoris, ubique illic radiantis, quo impulsus Auctor perpetuo Deum nominat Amorem suum & Carissimum Amorem, Librosque suos *Specula & Flammæ Amoris: Amorem aspirativum: Consummationem Animæ in Deo per Amorem: Soliloquium, Epithalamium Sponsi Divini &c.* Tractatus ejusdem de Amore aspirativo nuper iterum est impressus in secundo volumine Libri cui titulus *Theologia Cordis; & Principiorum* ejus compendium habetur annexum novæ Editioni *Theologiæ realis*, quæ nuper Gallice prodiit.

E Veteribus, per veras septem Epistolas S. IGNATII Antiocheni, constat sanctum hunc Martyrem eodem plane Spiritu eodemque Amoris Divini caractere præditum fuisse. Sola ipsius Epistola ad Romanos (quam P. Ruinardus Græce publico primus dedit, cum actis Martyrii ejus, sub finem Libri sui qui inscribitur, *Acta Martyrum sincera*) in specie & Divina convictione hoc ipsum confirmat, æque ac aliæ ejusfex epistolæ, quæ aliquoties cura Vossii impressæ sunt, attamen nimis contemptim de epistolis, quæ *interpolatæ* dicuntur, sentit ille, & ex impetu affectuum

Etuum contra interpolationis hujus Auctorem loquitur ; qui epistolarum S. Martyris paraphrasin quandam potius suggerere voluit, quam earundem textum pervertere ; revera enim inviolatum retinuit illarum sensum, quantum ad spiritus amoris characterem attinget.

VI. S^{ta}. ANGELA DE FULGINIO.

(29.) Crux Christi Jesu & inde pro- §. 29.
manantes Gratiarum rivi, scilicet Amor Vitæ, Virtutum, Mortisque Jesu Christi, perque eum Animæ purificatio, & proinde infusio veræ Theologiæ Cœlestis & supernaturalis, ac sapidæ & experimentalis notitiæ Dei, ejus attributorum & perfectionum, Redemptionis, & aliorum Mirabilium Dei, favorumque valde sublimium, sunt elementum & character specialis S^{ta}. ANGELÆ *de Fulginio* ; in qua imprimis moventes admodum Cordis affectiones, simplicitas, & tam genuina sinceritas elucet, ut abunde appareat illam ab omni fraude omnique deceptione esse alienissimam. Doctrina & Vita ejus, Medullam Evan-

vangelii purissimam, nilque nisi meram praxin spirantem complectuntur, in qua quidem via Amor proprius asylum vel fulcrum frustra quæreret.

§. 30. (30.) Vixit sancta hæc Matrona Fulginii in Ducatu Spoletano quatuor abhinc seculis, quæ marito adhuc juncta ad Deum sese convertit, ac deinde post ipsius obitum, tertium S. Francisci Ordinem est ingressa. Opuscula cum Vita ejus Latine Confessor ipsius evulgavit, ac præter Editiones, Parisiensem & Coloniensem Anni 1601. etiam inveniuntur in Actis Sanctorum Bollandi; quarto Januarii, qui ipse Sanctæ hujus emortualis dies fuit. Variis quoque eadem linguis in lucem prodierunt; scilicet Gallice Parisiis, Belgice Antwerpia 1628. Cum autem Parisiensis Editio non amplius superesset, nuper (Anno scil. 1696.) nova versio Gallica compa-ruit sub titulo, (a) *Theologia Crucis Jesu Christi; seu Opera & Vita Beatæ ANGELÆ de Fulginio*, ubi omnia in meliorem ordinem sunt redacta.

(a) *La Theologie de la Croix de J. C. ou, la Vie & les Oeuvres de la B. Angele de Folignia Amsterdam.*

§. 31. 31. Habetur in ejusdem *Operibus* plenissimæ gravitatis commendatio Vitæ Jesu Christi, ejusque trinæ ac inseparabilis (ut loquitur) societatis, Pau-
per-

pertatis scilicet, contemptus & dolorum. Depinguntur ibidem vera Oratio, Humilitas, Amor Spiritualis, Dona Dei in dilectos suos conferri solita, Sacramentum Amoris, Præsentia & inhabitatio Dei in Anima, itemque commercia Dei supernaturalia cum ipsa, una cum necessariis contra illusiones cautelis. *Vita* ejusdem ibi in tres partes est divisa, quarum prima historiam Conversionis ejus, pœnitentiæ, & terribilis purificationis continet: secunda, modos supernaturales, queis Deus ipsi consolationes, lumina, Divinas cognitiones sui & attributorum suorum, eorumque omnium quæ ad redemptionem & salutem nostram pertinent, suggestit: tertia vero postremos ipsius sermones, Testamentum, & beatum ejus obitum, qui Anno 1309. contigit. Annexæ huic Editioni sunt *Exercitia* BLOSI in *Passionem Jesu Christi*.

(32.) Eodem spiritu eodemque cum S. Angela caractere prædita sunt opuscula S. FRANCISCI ASSISIATIS, Latine impressa in quarto Antwerpia 1623. cum Notis Waddingi nimium diffusis, & exigua forma sine Notis, Lugduni 1636.

§. 32.

(33.) Do-

- S. 33. (33.) DOMINUS DE BERNIERES LOUVIGNI, Consiliarius Regius & Thesaurarius Galliae in Ærario Cadomenfi, quod ad sanctum attinet affectum, caractere quidem S. Theresiae, sed quod ad argumentum & dogmaticum, S. Angelae caractere omnino est imbutus, quam mirari & penitus imitari consueverat, quippe cui, ejusdem Sanctae exemplo, nil adeo cordi fuit quam Crux Jesu Christi, imitatio & inculcatio paupertatis, abjectionis & passionum Filii Dei, quae omnia a sancto hoc Viro ubique urgentur tanquam perfectionis in hac Vita culmen. Divina ipsius Scripta vero solidissimi Christianismi Spiritu sunt plane referta. Ejusdem (a) *Christianus internus*, in Galliis vicies sub incudem revocatus, & Belgice, imo Italice versus & editus, agit tum de argumento mox in genere memorato, tum speciatim de materiis Mysticis praesentiae Dei & Precum Lib. 3. & 7. Deceverant Editores non pauca adhuc alia Operum ejus in lucem extrahere, prout initium factum additione *secundi Tomi* dicto Christiano interno, & publicatione Divinarum ejus (a) *Sententiarum* & insignium *Epistolarum*, ubi omnis

(a) *Le Chrétien interieur.*

(a) *Maximes Spirituelles.*

generis argumenta spiritualia & mystica figillatim exponuntur, & difficultates ibidem occurrentes, egregie diluuntur. At *Vita* ipsius, ceterique quatuor libri in præfatione ejusdem *Operibus Spiritualibus* præfixa promissi, nondum in lucem prodierunt, & fortasse nunquam prodibunt; perpetim enim mundana scientia infusæ per Dei Spiritum sapientiæ resistit, semperque viget contrarietas inter pietatis speciem nullibi non dominantem, & ipsam pietatem vere solidam, internam & absconditam.

Dominus de Bernieres obiit Cadomi Anno 1659. qui 57. ætatis suæ annus erat. Admodum notabile est quod in præfatione Operum ejus de ipsius obitu legimus. Scilicet: *Mors ejus neutiquam pro causa habuit pravam quandam humorum perturbationem, neque quendam naturæ defectum. Tota die nil quicquam mali perceperat; neque etiam in initio vespertinarum precum. Nonnenimi qui ipsi serviebat, ipsum monenti tempus isti Exercitio ordinarie destinatum quum efflueret, jam quiescendum ipsi esse; ille consueta sua lenitate respondit rogando ut unicum adhuc sibi concederet momentum. Bonus iste servus mox reversus, inveniebat Herum suum flexis genibus habitu pre-*

cantis; at simulac ipsum alloqui incepit, observavit animam ejus a nobis secessisse, & nil nisi corpus nobis reliquisse. Sanctus hic Vir, aut vi mortificationis, vel lachrymarum quas ob infelicitatem & perditionem animarum fudit, in cæcitatem per aliquot annos durantem incidit; at benignitate Dei visum notabili temporis spatio ante obitum recuperaverat, eodem modo ac S. Francisco Assisiati obtigisse fertur.

§. 34.

(34.) HENRICUS SUSO, Sanctus Dominicanus seculi decimi quarti, pariter Spiritum & characterem S^{te}. Angelæ Fulginiensis possidet. Operum ejus Originale vetus Germanicum non amplius reperitur; attamen extat ejus, sicut & Tauleri, Versio Latina per Surium, Coloniae aliquoties impressa, ac ultima vice Anno 1615. secundum quam facta est hodierna Versio Germanica, itidem Coloniae Anno 1661. typis excusa. Ex ejusdem Operibus, *Dialogus æternæ Sapientiæ cum discipulo suo*, quatuor *Sermones*, duodecim *Epistolæ*, *Vita* ejus (eximium sane scriptum, a filia ejus quadam spiritali exaratum, quod tamen non est absolutum) *Meditationes in Passionem*, *Exercitia*, *Horæ*, & *Officium*

cium æternæ Sapientiæ, continent pro primario Argumento Passionem & Crucem Servatoris, simulque patientiam & resignationem, quibus ejusdem participes nos esse oportet, emphatice commendant. Ipsius *Dialogus Veritatis & Discipuli sui*, adhuc de aliis sublimioribus & mysticis agit, æque ac *Tractatus ejusdem de novem Rupibus*, quas conscendere tenemur ad attingendum Principium nostrum: ubi paulo ante corruptionem per omnes Christiani Orbis status longe lateque dominantem depinxerat, commonstrando, quod omnes, tam Ecclesiastici quam Seculares ab omnium bonorum Auctore Deo defecerint. Omnes Susonis libri, excepto *Veritatis Dialogo*, Gallice editi sunt Parisiis Anno 1614. & nuper (Anno 1684.) ibidem nova *Dialogi æternæ Sapientiæ* versio in publicum emissa, Episcopo Meldensi dedicata.

Incredibili mortificationi deditus erat Suso, humilitate consummata, benignitate & patientia probatissima præditus, ac incomparabilis sacræ Humanitatis Filii Dei, ejusque passionum amator; in quo sanctæ Matris suæ videbatur quasi esse hæres, quæ ipsa die pa-

rasceves, (ita appellant diem Veneris ante Pascha proximum) e vita discessit ex mera commotione animi, irrogatos Christo cruciatus, & sanctæ Virginis Dominum in Cruce agonizantem conspicientis angores, secum volventis.

Præter Exercitia Tauleri & Meditationes S. Catharinæ Senensis, quorum jam fecimus mentionem, & qui caractere Crucis Jesu Christi pollent, huc quoque referenda maxima pars *Vitæ Sta Mariæ Magdalensæ de Pazzi*: quæ Parisiis Anno 1670. Gallice, & Coloniae eodem anno Latine, itemque alibi Belgice prodiit. *Stimulus item Amoris Divini S. BONAVENTURÆ*, cum opusculis ejus editus Parisiis Anno 1647, & seorsum Bruxellis 1683. Gallice quoque in lucem emissus est Parisiis 1666. & Lugduni, sub titulo *Meditationum in Mysteria Passionis*. Addendæ & *Meditationes S. BRUNONIS in Passionem*; & quarta pars *Meditationum LUDOVICI a PONTE*, cujus opus quibuslibet hujusce temporis Sermonibus nequaquam cedit, postquam omnes Christianas Veritates cognitu necessarias in utilem & piam meditationem redactas comprehendit: Porro *Elevationes in Passio-*

Passionem, Patris cujusdam Oratorii, Gallice publicatæ Parisiis Anno 1677. Item Liber Belgicus, *Sponsus sanguinum*, non semel Antwerpiaë impressus, qui viginti continet Meditationes in forma de Passione Domini nostri, cujus Auctor (a) idem est qui *Thalami Sponsi*. Tandem huic argumento haud incongrue jungendus (relictis pluribus aliis) exiguus quidam Belgico idiomate libellus, licet vix notus, attamen perfectæ soliditatis, qui inscribitur *Mysterium Status & Vitæ Jesu Christi*, Amstelodami Anno 1653. editus. Auctor Lumine Divino fruebatur, quamvis Idiota & Opifex, vocabaturque Henricus Gerardi, hic notatus per H. G.

(a) Michael Zachmor-
ter.

VII. BENEDICTUS DE CANFELD.

(35.) Ad consequendam Perfectionem §. 35. Christianam, facilem commonstrare viam annisus est hicce Auctor, præ ceteris extollendo medium evidens, minime dubium, facillimum, & absolutum; ac proinde Latine, Gallice & Anglice exiguum composuit tractatum quem inscripsit: *Regula Perfectionis*, ubi omnia ad

unicum *Voluntatis Dei* Principium reduxit, quolibet ejus character exprimitur. Hoc Principium neutiquam controversum, omniumque Christianorum, imo quorumvis ratione utentium assensu approbatum, plurimum eo confert, ut omnia in actum & praxin deducantur, utque errore liberentur ii qui tum sibi ipsis imaginantur, tum aliis persuadere cupiunt, Vitam spiritualem solummodo consistere in nescio quibus abstractis & aridis otiosæ & sine actione quietæ mentis contemplationibus. Vult Canfeldius, ut sola Dei voluntas sit principium & scopus, quæ in omnibus respicere oportet; quam voluntatem alludendo ad textum Apostolicum, Rom. 12, v. 2. triplicem proponit, scilicet, externam & *bonam*; internam & *beneficentem*, ac denique intimam aut essentialem, *supereminentem & perfectam*. Prima libri sui parte exponit, quomodo Dei Voluntas, actionum nostrarum regula, postquam per Legem Summi istius Numinis, aut per rectam rationem, aut per mandatum Superiorum, aut per eventum eorum quæ nobis accidunt, innotuit, debeat effici aut admitti actualiter, unice, lubenter, indu-

dubitanter, perspicue & prompte. Deinde vero, Voluntas Dei sentitur in imis Animæ recessibus, ibidemque sese prodit sapido & plane luminoso modo, cum admiratione, humiliatione, exultatione & elevatione mentis ad Deum: id quod parte secunda describitur; quam excipit tertia, quæ de intimo & supernaturali ipsius Dei commercio agit, cujus unicum Auctor proponit medium, ut & modos, qui duo sunt, & duplici hominum generi applicari queunt; quorum respectu plurima memorat capita & varias observationes & necessarias præcautiones quod ad internam & mysticam viam attinet, quæ tamen omnes ad passivam annihilationem redeunt, quæ est pro amore fruitivo contemplationis & unionis, & ad annihilationem activam, quæ est pro amore practico, per quem agere oportet spiritualiter, aut externe seu corporaliter.

(36.) Cum Auctor hic fuerit eruditus, hinc non minus methodice & systematice quam solide scripsit, perspicax & circumspectus, ne ullam quidem necessariam præcautionem omittens, non solum contra falsam Mysticam & falsam quietem & desidiam naturæ, sed & ne

§. 36.

quis forte sit timidior aut scrupulosior propter verba & modos loquendi, quibus ipse utitur; quosque e scriptoribus sanctioribus, qui ipsum præcesserunt, allegat; de quo tamen argumenti genere fusius egit *Sandaus* in Latino Opere suo, cui titulus, *Clavis seu Onomasticum Theologiae Mysticae*, Coloniae Agrippinae 1640. sicut & *D. Brunius* in Gallico tractatu suo, *Eclaircissement de la Theologie Mystique*, qui lucem vidit Rhotomagi, 1659. & nuperrime *Dn. Archiepiscopus Cameracensis* in suis (a) *Sententiis Sanctorum explicatis*, quæ tantum longe lateque excitarunt rumorem, quæque licet tot subjectæ censuris nemini ignotis, tamen a plurimis adhuc approbantur, qui etiamnum sibi persuadent, tantum abesse, ut Auctor (uti accusabatur) ad extrema res adduxerit, ut potius nonnullas videatur nimium extenuavisse, sic ut necdum attingant sublimitatem sensus Sanctorum & maxime sublimium Mysticorum.

(a) *Explication des Maximes des Saints.*

Liber *Canfeldii* in Belgicam pluresque alias linguas fuit translatus, & aliquot vicibus impressus. Ultima Editio Parisiensis Anni 1666. (denuo Lugduni Anno 1694. impressa) junctam habet

habet *Explanationem* generalem quæ divisionem operis respicit, & *Conversionem* ut & *Vitam* Auctoris, qui Nobilis erat natione Anglus, & professione Divini Verbi Præco Capucinus, in qua & obiit Parisiis Anno 1620. postquam in extasi amoris hæc verba enunciaverat: *O Mirabilia! O immensa Amoris divini abyssus!* Anno 1649. exiguum totius ejusdem Libri Latinum compendium Lucernæ prælo fuit subjectum.

(37.) *Tractatus Gallicus de Sapientia Christiana aut de Scientia Uniformitatis cum Voluntate Dei*, quem Dn. d'ARGENSON, Consiliarius Regis, in carcere Mediolanensi composuit, & qui Anno 1651. Parisiis est impressus, circa idem Cansfeldianum principium volvitur, egregius libellus facilis intellectu, nec minus solidus & vere spiritualis. §. 37.

VIII. JOANNES ENGELBRECHT.

(38.) Quanta præcedentis Auctoris §. 38. erat doctrina & eruditio, tanta hujus erat inscitia & omnium literarum ignorantia; vix enim ad legendum vel scribendum idoneum sese fuisse fatetur.

Characterem habet ingenuitatis & puræ ac infantilis simplicitatis, nullo modo per sinuosas Naturæ calliditates, aut ulla humana artificia depravatæ, nec per scientiæ aut sapientiæ mundanæ mixturam corruptæ; attamen divina sapientia forti, solida, & substantiali præditæ; qua pseudo-Theologos & falsos spirituales ac hujus mundi sapientes deprehendit, & in eorundem fucata sapientia & sophistica Theologia ad incertitas redegit, omnesque eorum contentiones & controversias disjecit, dissipavit, & extinxit, omnimode pacans mentem & intima cordis circa Religionum discrimina, exponens quæ substantiam veri Christianismi plane perspicuam, omnino facilem, & prout a nemine non etiam e simplicissimis in vita exerceri potest. Primarium ejus Principium hoc est, ut cognita peccata evitemus; ceu quilibet potest per mensuram gratiæ, quam benignissimus Dominus cuivis sufficienter eum in finem impertit; utque sic operationi Divinæ in nobis locum dantes, Summum Numen intus adoremus, ut per Spiritum suum in cordibus nostris producat Fidem, quæ per Charitatem omneque

boni ac Virtutis genus efficax fit. Profecto verus hic simplicium animarum est Theologus. Præter sapientissimam & fortissimam simplicitatem infantilem, quæ ipsius est elementum, modus, quo lumina ejus ipsi fuere infusa, etiam singularem & plane extraordinarium characterem præ se fert. Scilicet factum hoc est tum per ejus mortem & translationem in Infernum & in Cœlum, unde ipsum ad terram remisit Deus, tum & per continuas visiones & Institutiones Angelorum & ipsius Jesu Christi, item per extases divinas, ubi non pauca Dei mirabilia ipsi fuere propofita hujus & alterius vitæ, præsentis & futuri Seculi: adeo ut tanquam unicus in suo genere haberi possit; nisi quod HERMAS, & aliæ quædam sanctæ, quæ sequenti articulo memorabuntur, aliquo modo ipsi similes fuerint, imo etiam participes dicti characteris quod ad revelationes & Visiones divinas atinet.

Cum patria ipsius esset Urbs Brunsviga, ubi miraculosi isti eventus de ejus morbo, morte, resurrectione & missione divina Anno 1622. coram tota Urbe de iisdem penitus convicta conti-

ge-

gerunt; hinc libri, quos satis magno numero reliquit, tam qui eventus istos referunt, quam qui divinas ejus Visiones & extases commemorant, ut & non paucae ejusdem epistolae, omnes Germanica Lingua prodierunt. Dolendum, quod maxima eorundem pars neglecta perierit; imo quod adeo nemo Divini istius Hominis curam habuerit, ut vix constet, quid tandem de ipso factum sit, & ubinam e vita discesserit. Interim habentur, praeter *Historiam* mox dictorum eventuum, primo ejus narratio *Divina Visionis de Tribus Statibus*, Ecclesiastico, Politico & Oeconomico, dormientibus in peccato, & Everfionis quam Deus primo immittet Statui Ecclesiastico ad excitandos alios: secundo, *Visio Diluvii Universalis* peccatorum, totum mundum inundantis, bonos scilicet & malos, atque *Flagellorum Dei* omnibus incumbentium; & tertio *Visio Novi Cali & Novae Terra*. Verum tamen vix amplius comparent idiomate Germanico, & quamvis nonnulli Scripta omnia Engelbrechtina in lingua hac sub incudem revocare conati sint, imo actu ipso jam inceperint per editionem primae partis Anno 1686. tamen in pro-

posito hoc exquendo minime perrexerunt : Magis constantes fuere Belgæ : non solum enim jam ante in linguam suam verterunt ac evulgarunt omnia quæ jam Germanice fuerant edita ; verum de novo eadem (Anno 1697.) imprimi curarunt , additis quibusdam libellis, epistolis, & fragmentis ejusdem Auctoris, quæ necdum lucem viderant. Extat Gallica Versio Visionis Divinæ de tribus statibus, seorsum emissa Amstelodami, Anno 1680. itidemque annexa Operibus Dominæ Burignonix sub finem.

IX. SANCTÆ HILDEGARDIS,
ELISABETHA, MECHTIL-
DIS & BRIGITTA.

(39.) Sancta HILDEGARDIS, Abbatissa, in Diœcesi Moguntina Seculo Duodecimo ; cujus Revelationum libri tres Parisiis Anno 1513. Latine sunt impressi ; ac iterum iterumque Coloniae editi, una cum aliis ejusdem Operibus & Epistolis ad Pontifices, Imperatores, Reges, Episcopos, ad S. Bernhardum, & omnis generis alios, qui ipsam haud mediocriter venerabantur & ab ea consilia petebant: Sancta ELISA-
BE-

§. 39.

BETHA, Sanctæ istius coæva & amica; Schonaviæ in Diœcesi Trevirensi, Abbatissa, cujus Libri itidem Latini in sex partes divisi Operibus Sanctæ Hildegardis sunt annexi, attamen multo magis perspicui & dogmatici: Sancta MECHTILDIS, origine Comitissa æque ac Sancta Gertrudis, cui erat intima, & in Monasterio ejus Religiosa, ceu e postremo Infinationum Sanctæ Gertrudis libro apparet, ubi obitus Sanctæ Mechtildis prolixè memoratur, nulla tamen Operum ejus facta mentione, quæ quinque libris cum Sanctæ Hildegardis Revelationibus fuere impressæ: Sancta BRIGITTA, Sueca, Princeps fœmina e Regio sanguine, seculo decimoquarto, cujus Revelationes aliquoties Latine prælo subjectæ, (a) atque iterum recentè evulgatæ sunt Monachii Anno 1680. cum diffusis annotationibus; quæque Gallice prodierunt Lugduni Anno 1652. & Germanice Coloniae, A. 1664; omnes inquam hæ Sanctæ characterem (*) gerunt

(a) *Primo Noribergæ 1521. Latine, ut Germanice.*

(*) *De hoc Mysticæ extraordinaria characterè, & cautelis ibidem observandis, cum fructu legi potest liber Latinus Cardinalis BONÆ, de Discretione Spirituum, ubi hoc argumentum exactè & prolixè exponitur. Extat ejusdem Versio Gallica, impressa Bruxellis 1676.*

runt Spiritus Prophetici, Revelationum & Visionum Divinarum circa Statum Ecclesiasticum, Politicum & Privatum, eorum corruptionem, futuras pœnas, ac emendationem & restitutionem illorum. Quamvis quæ de statu Ecclesiastico, imo totius Christiani Orbis Capite 41. Libri I. Revelationum S. Brigittæ, & Cap. 14. Lib. III. S. Elisabethæ habentur, insignem merito fervorem inferant, tamen Ecclesia illius temporis haud defuit approbare earum Revelationes, quod tempore Savanarolæ minime ita fuisset factum. Sunt eadem quoque maximam partem divinissimis & longe utilissimis intermixtæ præceptis quod ad Christianum regimen attinet omnis generis hominum; ut & plurimis descriptionibus, quibus diversi animarum post mortem status depinguntur.

(40.) Divinus libellus *Pastoris*, alias **HERMÆ**, qui Apostolorum fuit coævus, eundem plane præ se fert characterem; eapropter etiam impressus cum S. Roberti, aliusque Religiosi Revelationibus in fronte Revelationum S. Hildegardis, Elisabethæ & Mechtildis, pri-

primæ Editionis, quæ prodiit Parisiis apud Henricum Stephanum Anno 1513. Enimvero hujusce libelli (qui parte secunda totus est dogmaticus circa duodecim Divina Præcepta, de quibus ab Angelo doctus est Hermas) prima & tertia pars plurimas Revelationes & Visiones Divinas continent, quæ tum privatos, tum Ecclesiam Dei, ejusque oppressionem, & dein futuram Renovationem respiciunt. Quemadmodum autem extra omnem controversiam est, hujus opusculi Auctorem revera esse Apostolicum hunc Virum, prout SS. Patres primorum seculorum abunde testantur; ita etiam nil amplius curantur contumeliæ, & irrisiones profanæ quas critici temerariores in eum effuderunt, (a) imo ipsum ceu impostorem & fabularum narratorem tractare ausi sunt. Etenim contra, tanquam Auctorem maxime gravem & Apostolicum, eundem non semel sub incudem revocarunt sedatiores Parisiis, Oxoniæ, & nuperrime adhuc Amstelodami Anno 1695. semper tamen Latino idiomate: Græcum enim Originale interiiit. Belgice quoque versum & impressum Anno 1687. novimus. Interim

(a) *Blondellus &c.*

in nova Editione Gr. Lat. Lipsiensi *Patrum Apostolicorum* exiguo volumine, haud dubitarunt hunc omittere, sicut & Epistolam S. BARNABÆ, non minus solidam quam allegoricis Mysteriis referatam, forte quia nonnullorum stomachi eorundem contenta digerere nesciunt.

(41.) Qui Scripta recenter edita Matronæ Anglicæ, quæ vocatur JOANNA LEAD, & adhucdum in vivis est, evolverunt, talia de ipsis testantur, quæ eundem cum mox prædicto characterem denotant; nimirum abunde ibi extare omnis generis præcepta & lumina salutaria, ut & Divinas Revelationes de proxima Christianæ Ecclesiæ restauratione per renovationem Vitæ & Spiritus Jesu Christi, & manifestationem mirabilium Regni ejus. Et qui ita de Scriptis istis sentiunt, neutiquam sunt minus perspicaces, vel paucis in locis, vel exiguo numero. Quicumque ex se ipso de iisdem judicare volet, solummodo legat Tractatus ipsius, *Nubes Cælestes, Sex Mysticos, Revelationem Revelationum*, quæ partem Apocalypseos, scilicet de Septem Sigillis, Septem Tonitribus, de Glorioso Jesu Christi Regno, methodo ex intimo

S. 41.

fundo procedente exponit: legat & ejusdem tria *Diaria* sive *Fontem Horti*, & quosdam adhuc alios, haud ita pridem omnes Londini Anglice, & ab Anno 1694. Amstelodami Germanice editos, ubi primus & tertius tractatus etiam Belgice in lucem prodierunt; at nullus quidem hucusque Gallice.

X. JACOBUS BOEMIUS.

§. 42. (42.) Hic unicus est (saltem cujus scripta antehac innotuerint) cui Deus imos Naturæ recessus detexit, tam quod ad spiritualia attinet, quam ad corporalia; & qui in rebus Theologicis & Supernaturalibus ad centrum usque penetravit, atque in ipsa origine principia vera Philosophiæ, tam Metaphysicæ & Pneumaticæ, quam veræ Physicæ pervidit. Vidit inquam, per lumen & sensum internum, quomodo Summum Numen e puncto indivisibili uniformis suæ æternitatis exiliens, se sibi ipsi manifestavit perfecta Trinitate per ineffabilem Luminosi Verbi sui generationem, & per suavissimi Spiritus Sancti processum; & quomodo, postquam virtutes, & immensas pulchritudines ac delicias Divinarum suarum
for-

formarum, earumque infinitarum combinationum & variationum in se contemplatus est, ab ejus Divina Potentia, per Verbum & Spiritum ipsius, defluxere entia spiritualia & corporalia, juxta ideas, quas Divina ejusdem Sapientia inde formaverat: quomodo entia hæc in fundo suo naturali & in luminosis ac gratuitis perfectionibus suis fovent proprietates, pulchritudines & delicias similes & analogas Originalibus earum in Deo; attamen hac inter eas diversitate, quod entia spiritualia easdem possideant & in actum deducant modo divino & libero; corporalia vero viliori & magis limitato modo, vivo tamen, cum sensu & instinctu vivido. Hoc pacto postquam omnes naturæ spiritualis & corporalis formas ad Septem reduxit, earumque principia ad tria, quorum duo priora res spirituales respiciunt; ac tertium, quod duorum istorum materialis quasi tabula sive repræsentatio est, ad externum mundum pertinet; inde explicuit Creationem Angelorum & eorundem loci, Dæmonum lapsum, Creationem hujus Mundi Angelico crassioris & e tenebroso Chaos, cui Dæmones do-

micilium suum pervertentes ansum de-
derant, elicit: Creationem porro glo-
riosam Hominis, ejusdem lapsum, Re-
stitutionem per Jesum Christum, & in-
finita alia Myſteria ſpiritualia & natu-
ralia.

§. 43.

(43.) Quoties profundus & arcanus
hicce Auctor de Naturæ fundo & de
rerum tam divinarum quam naturalium
qualitatibus loquitur, minime poteſt
vivo & reali modo ab ullo mortalium
intelligi, quantumcunque fuerit erudi-
tus, quamque eminenti ingenio prædi-
tus (conſiſtunt enim illa omnia in ſen-
ſu) niſi Deus modo Divino, & qui
nunc pro ſupernaturali haberetur, ex-
citaverit & affecerit facultates noſtras
ipſius facultatibus analogas; ac ſenſus
noſtros paſſivos, tum Divinos, Deo
reſpondentes, tum naturales, qui ejuſ-
dem operibus reſpondent, at quos a-
miſimus, vel qui ſaltem in nobis ſunt
conſopiti & altiſſimo ſopore obruti, per
mortiferam corruptionem, in quam in-
cidit humanum genus per lapſum A-
dami. Abſque illa excitatione, quan-
tacunque facundia de iſtis rebus poſt
lectionem hujus Auctoris quis diſſerere
poſſit, nunquam tamen alias quam pe-
ni-

nitus emortuas picturas fibimet ipsi inde fabricari poterit, aut potius ideas tam imperfectas quam dissimiles Originalibus suis, imo sæpe mera figmenta; eadem circiter ratione, ceu faceret a nativitate cæcus, qui frequenter quum audiisset de luce & coloribus loquentes, iisdem pariter dein garriret prout auditu perceperat; neutiquam tamen expertus sciret ecquid denotent verba quæ enunciat; jungens iis in mente sua ideas non minus ridiculas, atque illa fuit talis a nativitate cæci, qui interrogatus, an nihil in mente sibi formaret, quoties de coloribus loquentes audiret, respondit: Omnino; seque colorem, e. g. coccineum sibi repræsentare tanquam quicquam buccinæ sono haud absimile.

(44.) Nolim tamen hinc concludere, ac si quisquam boni animi nequeat in scriptis Auctoris nostri plus minusve, quamvis ruditer adhuc & imperfecte, detegere plurimas in hisce insignes Veritates, indeque deducere præclara lumina & egregias conclusiones quoad dogmata tam theoretica quam practica: at vero ab hac parte non est Auctor hinc cuilibet æque perspicuus; sed potius hinc, quod passim intermixta ha-

§. 44.

beat multa de corruptione hominis & hodierna Christianismi depravatione, de Conversione, de Resignatione & Oblatione animæ divino regimini; de Principiis vitæ Christianæ, de officio hominis & virtutum praxi, uno verbo, de eo quod scitu est necessarium & pro Christiana praxi essentiale. Omnia hæc in Libris Bœmianis hinc inde tam clare tamque emphatice attinguntur, ut nemo non bonæ mentis ea facillime capere & degustare possit, modo qui tales eorum pro lectione feligat, qui istis veritatibus imprimis sunt referti, scilicet, *Viam ad Christum*, ejusdem *Epistolas*, imo etiam postremam eamque maximam partem *Mysterii Magni* seu *Explicationis Geneseos*.

S. 45.

(45.) Verum enim vero, naturalis & superba curiosulæ mentis proclivitas facit, ut cuius fere non adeo sapiant solidæ ac primariæ istæ Veritates, quam abstractæ & elatæ speculationes de principiis & formis naturæ, variis eorum combinationibus naturalibusque effectis inde promanare solitis, & si quæ similia; qualibus non pauci, qui Scriptorum hujusce Auctoris amatores eximii præ aliis haberi cupiunt & affectant,

Etant, arctius adhærere videntur, quam iis, quæ ipsemet tanquam unice essentialia, & sicut omnium clavem, commendavit, prout sunt, Pœnitentia & sincera sui traditio Divino Numini, seu mera resignatio Voluntati Dei; quæ centrum est & principium omnium profundissimum, imo unicum illud infinitæ profunditatis: Etenim comprehendere & penetrare omnia magnalia, omnia lumina, & omnes delicias divinas & angelicas, eorumque possidere cognitionem, ut & universæ Naturæ, usque ad intimos recessus & principia profundissima, iisque corde adhærere; character est fundi mere naturalis, limitatique per suum illud *Ego* & per proprietatem, qui tandem potest degenerare in fundum diabolicum & infernalem. Nil vero quod finitum creaturæ fundum sapiat, vel ulli periculo sit obnoxium, reperitur in denudatione animæ & resignatione omnium rerum Voluntati Optimi Maximi, & in perfecta traditione sui Divino isti Numini, dum ipsi relinquitur libertas vel nobis concedendi vel recusandi pro beneplacito suo extraordinaria gratiarum suarum dona, & specialia lumina; de quibus obtinen-

dis metuendum foret, ab iisque nos alienos esse oporteret potius, quam eorum desiderio flagrare: verendum enim ne amor proprius, curiositas, vanitas, sui ipsius complacentia, elatio animi & spiritualis arrogantia, ibidem irrepere & animum occupare satagant ad interitum nostrum. Quam cautelam Auctor noster solícite injunxit, seque ipse secundum illam circumspecte gessit.

S. 46.

(46.) Natione Germanus erat Bœmius noster, natus in Lusatia Anno 1575. Religione Lutheranus (æque ac Johannes Engelbrecht) nativitate rusticus, professione Sutor; quanquam, ex quo Deus ipsum tertia vice Lumine suo illustravit, simulque instigavit ut luminaria sua calamo exararet, minus opificio suo quam scriptioni vacavit, qua triginta omnino Tractatus nobis reliquit, tam parvos quam magnos, iis haud annumerato Epistolarum ejus libello. Omnes excepto unico qui interiit Germanice variis in locis & diversis temporibus sunt impressi, atque nonnulli superstite adhuc Auctore; maxima tamen eorum pars non nisi post ipsius obitum prodiit, qui contigit Anno 1624. Nobi-

lis & eruditus Franckenbergius ejus narrationem dedit, æque ac Vitæ, quæ postremæ Operum Auctoris editioni Amstelodamensi Anni 1682. est præfixa. Duæ eorum operum tertiæ partes & ultra, Belgice in lucem sunt emissæ, quo in proposito adhucdum continuatur. Jam a pluribus annis Angli eadem omnia suo idiomate tenent favore Comitum de Pembrok. Pius Rex Carolus I. & nonnulli Aulæ istius Magnates, qui nonnisi paucissima e scriptis hisce conspexerant, magni eadem faciebant, pariter ac Henricus Morus pluresque alii scientia & virtute eminentes, qui ea completa cognoverant. *Franckenbergius*, idem ille qui sub nomine *Fr. a Monte Latine* publico dabat Amstelodami 1647. *Compendium Theologiæ Mysticæ HUGONIS DE PALMA*, (quod etiam Germanice prodiit Hannoveræ 1696). eadem ratione curam habuit aliud opusculi Auctoris nostri, quod Latine in manus hominum venit Anno 1650. sub titulo, *Metapsychica de cœlesti & terrestri mysterio*: & quidam Jurisconsultus, nomine J. Angelius Werdenhagen, 40. *questiones de Anima* in lucem emiserat Anno 1632. Amstelodami cum

inscriptione, *Psychologia Vera* J. B. T. qui duo libri, ut & libellus qui inscribitur, *Theologia Christiana juxta principia F. Bohemii idea brevior* Anno 1687. nimium sunt obscuri, omnique necessaria elucidatione nimium destituti, quam ut lectoribus incipientibus, aut seculi sapientibus inservire possint pro introductione in principia hujusce Auctoris. Quisquis est qui tractatum scripsit, cui titulus, *Exercitatio Theoreticorum Copernico-Cœlestium Mathematico-Physico-Theologica*, Hamburgi typis excusum 1689. (qui & idem qui Francofurti Anno 1691. sub nomine *Johannis Matthæi* in publicum emisit Apologiam Germanicam pro Auctore contra M. Holzhausen Concionatorem Lutheranum Francofurtensem) is meliori sane successu rem egit in tertia suæ Exercitationis parte.

Non possum quin hic rarum ac mirabile quoddam factum commemorem, quod hujusce Apologiæ (a) Scriptor de Auctore nostro refert. Nimirum dum hic viveret, Primarius loci ejus Pastor, fuerat simul primarius pii hujus Viri persecutor, etiam per acerrimas paginas contra ipsum evulgatas, queis tamen Auctor tam apposite responderat, ut

(a) Apol. pag. 308. 309. in Appen-dice.

ut adversarius postmodum tacere debu-
erit. Accidit vero post utriusque obi-
tum, ut iltius Pastoris filius honori Pa-
tris consulere volens, pro ipso respon-
sum exarare, & a Patre culpam remo-
vere decreverit. Verumenimvero,
eventus nec expectatus nec ullo modo
prævisus! Legens & expendens, pro-
ut juxta scopum sibi præfixum oportebat,
Auctoris nostri libros, convincitur
ejus mens & afficitur animus eo pa-
cto, ut ne dum priori inhæserit propo-
sito, urgente potius conscientia, cala-
mum pro Auctore contra proprium Pa-
trem suum strinxerit, tristi subinde hac
exclamatione intermixta: *Ah, mi Pa-
ter, ecquid fecisti!* Profecto oportet Ve-
ritatis vim admodum esse insignem,
dum modo tam eximio naturam ejusque
arctissima vincula potenter superare
valet.

Quod ad Versiones attinet librorum
Auctoris nostri, eas procul dubio non pa-
tientur indiscriminatim omnis generis
idiomata, ac speciatim Gallicum, cujus
elegantia mollior est ac tenerior, quam
ut talia possit sustinere, ex quo fæmineis
& molliculis animis sese accommodans,
pro lege habet, nil enunciare quod vel
tan-

tantillum obscuritatis coram lectore etiam ignavo & minus attento præ se ferat, nisi dictum factum velit quis audire, isthæc esse incomprehensibiles verborum sonitus, prout sine dubio accusabitur Versio libri ejus ad intelligendum omnium difficillimi de *Signatura rerum*, qui quinquaginta circiter abhinc annis editus est Gallice Francofurti: cum inscriptione, (a) *Speculum temporale æternitatis*: quæ etiam Interpretatio revera non est magni momenti.

(a) Miroir temporel de l'éternité.

§. 47.

(47.) Auctoris nostri dona tam singularia sunt, ut incassum alibi quæras Scriptores qui ex origine tam profundæ cognitionis characterem gerant: ex *origine* inquam, id est, tales qui Veritates ejusmodi e fonte & per experientiam in sese ipsis hauserint. Alias non desunt qui juxta ejus principia scripserint, indeque varias & pluribus subjectis accommodandas Conclusiones deduxerint, ut præprimis FRANKENBERGIUS, KEYMIUS, Auctor *Oculi æternitatis*, primo horum a Typographo perperam ascripti; porro Auctor *Via ad Vitam æternam*, latens sub nomine *Desiderii Philadelphi*, & quidam adhuc alii ex ejus Discipulis, qui omnes Germanice

nice scripserunt. Interim unicus e Veteribus Auctori nostro proximus accedens est *Pæmander*, qui jure aut injuria attribuitur MERCURIO TRISMEGISTO, & quem Amicus aut Discipulus quidam Jacobi Boëmii vertit & in commune contulit Belgice Anno 1652. idque secundum editionem Græco-Latinam Patritii, multum præferendam editioni Ficini, atque illi etiam qua usus est *Dux CANDALENSIS* ad formandam eam, quam Gallice evulgavit cum egregiis annotationibus & nitidissima forma Burdigalæ Anno 1579. PARACELsus, WEIGELIUS, SPERBERUS, SCLEJUS, FRANC. GEORGIUS VENETUS, *van HELMONT* Pater & Filius, SCOTUS ERIGENA, & quidam insuper Scriptores Cabalisticæ, Boëmio appropinquant subinde in nonnullis, fere sicut Auctor Gallici libri *Harmonia Mundi* (editi Parisiis Anno 1675.) quem Curiosus evolvere poterunt siquidem animadvertere cupiant methodum philosophandi Boëmianæ potius similem, quam vulgari vel Aristotelicæ, vel Cartesianæ: Huc quoque pertinet POSTELLUS, cujus exiguus libellus, qui inscribitur *Clavis absconditorum*, Anno 1646. Amstelodami cura

cura Frankenbergii, in lucem prodiit, in cujus fine habetur Catalogus rarissimorum tractatum hujusce Auctoris minime vulgaris.

§. 48. (48) De reliquo nil magis est ridiculum, quam quorundam exemplo credere vel-
le, J. Boëmium cognitiones suas e Paracelso hausisse. Equidem potuit quod ad terminos & exponendi modos quosdam attinet, hinc inde ei se conformare; at ne γρὺ quidem in Paracelso legitur de Tribus ejusdem Principiis, neque de septem formis naturæ spiritualis & corporalis; quæ tamen vera & unica J. Boëmii sunt principia; quem quisquis cum judicio evolvet, non poterit non advertere & sentire, ipsum non proferre aliunde petita, sed cuncta e fonte & origine intima ipsum protraxisse.

§. 49. (49.) Oblitus fere sum novi cujusdam Auctoris eodem charactere dotati nuperrime in lucem emissi, qui licet forte cum fructu nostri Boëmii Scripta legerit, tamen & ipse non solum ex eadem scaturigine hausit; sed & certo respectu altius eandem penetravit. Est ille Medicus Anglicus nomine D. POR-
DAGE, haud ita pridem Londini mortuus; cujus duo tractatus Amstelodami

Anno 1698. & 1699. ex Anglico in Germanicum versi, lucem viderunt, unus titulo, *Theologia Mystica*; alter, *Sophia*. Primus, cujus notabilis pars itidem Anglice fuit evulgata, præfixam habet præfationem, J. Lædiæ, Auctori dum is in vivis esset, amicæ: & hic quidem tractatus maxime ad argumentum nostrum pertinet. Detegit ille in Deo novas manifestationes, novum mundum Spirituum, principia mundo Angelico & naturali anteriora, omnimode Jacobo Boëmio ignota, pro cuius scriptis intelligendis quasdam magni momenti interpretationes suppeditat, haud tamen ejusdem argumenta attingens; desinit enim (saltem in opusculis quæ huc usque prodire, quæque non nisi librorum ejus sunt initia) desinit, inquam, ubi Boëmius incipit. Quod quidem effatum non videbitur ænigma ei qui scriptum ejus perlegere volet.

(50.) Libellus Anglicus THOMÆ BROMLEY, *Via ad Sabbatum quietis, aut Institutio de Regeneratione*, denuo typis excusus Londini 1692. & Germanice Amstelodami 1685. ac Belgice 1682. ejusdem est characteris, quique ex ipso fonte prodiit. Est hæc præ multis aliis solida,

§. 50.

Jager, H. L. 691.
1107.

da, methodica, simulque brevis & succincta descriptio Regenerationis secundum singulos ejusdem gradus, a Conversione usque ad Perfectionem. Imo verum quoddam est Systema & Compendium Theologiæ Mysticæ, in usum eorum, quos Deus per viam sensuum interiorum sive spiritualium ducere voluerit. Postrema Editio Anglica aucta est præfatione, quæ particularia pietatem fortiter inspirantia continet de Vita & Morte Auctoris, qui Anno 1691. vitam finivit, ad amicos suos cum divina lætitia hæc non minus rara quam admiratione digna verba faciens: *Conscientia mea penitus est quieta. Vitam luminibus meis conformem duxi & Deum super omnia dilexi. Ambulavi cum Deo; licet inter homines minime fui conspicuus.* Editioni vero Germanicæ circa argumentum de quo agitur junctæ quædam sunt e Scriptis Jac. Boëmii, cujus principia vivide possidebat Bromlejus.

XI. H I E L.

§. 51. (51.) Auctor Belgicus sub velamine hujus tituli delitescens, itidem plane singularis observatur in Characterem suo, qui est, cuncta deducere e divino Principio quod ipse Jesus Christus a deo com-

men-

mendat tanquam Patri suo acceptissimum, & divinæ naturæ suæ maxime conforme, scilicet, *Spiritum* aut *VITAM* & *REALITATEM* seu *Veritatem*, juxta huncce textum: *Deus est Spiritus, & vult adorari in Spiritu & Veritate*, id est, modo vivo ac reali, quem hic Auctor Belgice exprimit, *het een-wesig Leven*/ ac si quis diceret, *vita uni-realis*. Omnia hinc exponit, hinc elicit; huc omnia refert; & ecce viam, per quam eo deductus videtur, & principia queis fuit imbutus.

(52.) Vivebat ævo admodum turbu- §. 52.
lento, ubi nil nisi diffidia, rixæ & contentiones in Christiano Orbe grassabantur circa Religionem & Dei Cultum: atque hic Cultus, ob quem tanti animorum motus, vix quicquam aliud erat quam partim ceremoniæ, & externa Christianismi, partim opiniones & speculationes mentis, quibus sine dubio & ipse Auctor involvebatur, persuasus se se notabiles in Christianismo suo fecisse progressus, postquam iis partibus fuerat addictus, quæ sibi meliores apparuerunt, & ceremoniis ac Sacramentis secundum earum institutionem (ipsius judicio) omnium integerrimam & purissimam,

simam, fuerat usus; ac mente sua conceperat (juxta suam persuasionem) superiores magisque salutares speculationes & opiniones (ceu ipsi videbatur) quam cæteræ partes fovebant. Verum enim vero ubi Suprema Bonitas ipsi cor sic tetigisset, ut sentiret, omniamodo dicta neutiquam impedire, quin adhuc inhæreat luto perditionis; toto corde ac serio hanc tanti momenti veritatem est amplexus: deinde divina luce specialius animadvertens, tam illusiones quibus quod ad statum suum erat captus, quam veritates solidiores falsis istis hypothesebus contrarias; percepit tum, ut quis sit verus Christianus, ut vere serviat Deo, ut vivat in statu salutis, non requiri contentiones & dissidia ac factiones, sed UNITATEM: non Ceremonias, Umbras, Figuras & externos gestus; aut REALITATEM: non aridas Speculationes, vanas theorias, ac opiniones; sed VITAM: quæ quidem proprie tria ista sunt quæ conjunxit hocce verbo, *Gen-wesig Leben* / seu *Vita uni-realis*, hoc est (1) *Vita*, aut spiritualitas viva & actualis, (2) *realis* & solida, atque (3) reunita in *unum* cum Deo & cum ejus Liberis; id quod proprie idem est quod

Chri-

Christus a Patre Suo sciscitatus est ad plenam omnium consummationem. Joh. c. 17. v. 21, 23.

(53.) Ut eo clarius pateſcat ſolida, §. 53.
ſpiritualis & ſublimis hujusce Auctoris doctrina, neceſſe eſt ſtabilire & bene perpendere theſes aut principia quæ ſequuntur.

I. Res Spirituales & internas eſſe originem, realitatem, vim ac virtutem omnium rerum. Revera enim omnia, ac imprimis corporalia, Nihil fue- re; &, teſte ipſa Scriptura S. (Hebr. XI. 3.) cœperunt exiſtere ſolum per vim ſpiritualium & inviſibilium, quo- rum illa ſunt velut excrescentiæ, &, ut ita loquar, quaſi ſtolones aut viſibiles manifeſtationes ſtatus & virium quæ in rebus inviſibilibus inſunt.

II. Prout igitur diſpoſitæ erunt res internæ, eodem etiam modo ſeſe habe- bunt externæ & materiales; quia hæ ab illis procedunt; & qualis eſt cauſa, talis & effectus.

III. Quod ſi ergo res ſpiritualis, anima ſcil. omneſque ejuſdem actus in- terni, bene ſunt diſpoſiti; conſequen- ter etiam ipſius externum & corporale ſine dubio recte erit ordinatum.

IV. Quapropter si omnes Spiritus aut omnes ac singulæ Animæ, cum omnibus actibus suis, prout decet, essent ordinatæ, cunctæ pariter res externæ, corporales & materiales, generaliter in laudabili statu forent.

Quo posito, perfectæ & gloriosæ totius Universi restauratio sequeretur, ex interioribus cujusque mentis, ceu dictum, dimanans.

Atque sic ab origine res considerando, omnia redeunt ad rectam cujuslibet animæ dispositionem, indeque cuncta pendent.

§. 54. (54.) V. Perspicuum vero est, haud reperiri medium ad hoc aptius & magis propinquum, nec meliorem pro qualibet anima dispositionem, quam principium & actus *vivos, reâles, & solidos in unitate cum Deo & Liberis ejus*, quod plane illud ipsum est, cui Auctor *Vitæ uni-reâlis* nomen dedit, & quam quis eodem sensu exprimere posset per *Vitam veram in unitate & simplicitate divina*.

§. 55. (55.) VI. Ceremoniæ autem, Figuræ, Umbrae, & Cultus apparens, nequaquam sunt *reâlitas*:

Factiones, sectæ, schismata, dissensiones, contentiones, minime sunt *unitas*:

At-

Atque Opiniones , persuasiones , theoriæ , speculationes , ideæ , discursus , neutiquam sunt *vita & spiritus* :

Quæ omnia quum non constituent *vitam uni-realem* aut *veram vitam in unitate & simplicitate divina* , nequeunt esse proxima & viva media ad restaurationem vel cujusvis privati hominis , vel in genere totius Universi :

1. Ergo istis adhærere tanquam proximis & vivis mediis , hypocrisis est , pharisaïsmus , propria Justitia , Sanctitas propria seu propriæ electionis , sanctitas imaginaria & carnalis , ceu pluribus in locis mentem suam enunciat Auctor , & ob quæ postremorum horum temporum Christianos fortiter reprehendit.

2. Illis adhærere tanquam fini seu scopo , ad quem eniti & in quo acquiescere oporteat , est , Deos & idola inde extruere ; est idololatria coram Deo juxta eundem Auctorem , qui com-
monstrat , Christianismum hujus ævi nimis jam esse hac idololatria vix observata infectum.

3. At istis uti (quantum fieri potest) tanquam accessoriis & crassis seu elementaribus mediis ad sese promovendum versus *vitam realem in unitate divina* , pe-

cularis ac verus eorundem est usus, qui re ipsa infirmos directe & proprie respicit, iisdemque prodest; quem tamen magis promoti itidem observare & possunt & debent, tum ne infirmis malo sint exemplo, sed potius incitamento ad exercenda ea quæ ipsis profunt, quamdiu revera ipsorum progressibus inferviunt; tum ad se ipsos excitandos aut sese in Deo recolligendos, quoties mens eorum distracta aberrat, aut animus dejectus elanguescit, sicut subinde revera contingit etiam iis qui jam notabiles fecere progressus.

§. 56.

(56.) VII. Hinc sequitur, quum Scripturam Summa Bonitas nobis concesserit tanquam externum adminiculum ad mortalium animas ad salutem & verum internum Dei cultum ducendas, seu ad *vitam realem in unitate & simplicitate divina*, vel ad *statum spirituales*, in quo vivant *solide Deo unitæ*; optimum ejusdem Scripturæ S. usum consistere in eo, ut quis omnia quæ eadem continet, nobisque repræsentat, tanquam picturas & exemplaria consideret eorum quæ intus nobis eveniunt aut evenire debent; in mentibus, inquam, in animæ adytis, in facultatibus nostris, & acti-

actibus internis; adeoque interpretationem omnium maxime utilem esse illam, quæ tendit ad sensum tum *Unitatis* amorisque erga Deum & proximum; tum vivæ ac veræ *realitatis*; denique *Spiritualitatis*, ut sic loquar, interiora fundumque mentium solide occupantis.

Atque hoc pacto tota Scriptura S. vere intus reperitur, & in qualibet Anima spiritualiter impleri debet.

Ex hoc principio Auctor noster eandem sic exposuit ubique, a Genesi usque ad Apocalypsin, omnium proinde maxime internus, utilis & sublimis Allegorista qui hucusque quicquam ediderit. Vult ille ut quis Scripturam S. evolvat, non simpliciter tanquam rerum, quæ olim & extra nos contigerunt, historiam; sed ut eam inspiciat tanquam tabulam variis modis exprimentem mala, quæ peccatum in nobis produxit ac etiamnum producit; & qua ratione Deus per internas S. Spiritus sui operationes eadem ad interuersionem prosternere & e cordibus nostris profligare vult, eorumque loco ingerere principium, vitam, & salutare ac divinos fructus, quæ æternum coram ipso & in unitate cum ipso possint subsistere.

S. 57.

(57.) Vixit hic Auctor ante centum & quinquaginta circiter annos. Erat laicus & illiteratus, nullam nisi Belgicam linguam callens, quippe prout ipse in libris suis profitetur maternam: qua de re non est fas dubitare, licet in allegoricis suis in Scripturam explicationibus, semper Bibliorum nomina propria, tam Hebraïca quam Græca, reddat per interpretationem ipsorum etymologiæ exacte respondentem. Hoc enim efficere potuit, quod celebris & docti Ariæ Montani intimus esset amicus, qui omnia ipsi interpretabatur, & tanti eum faciebat, ut publico testimonio declararet, ipsum esse *Christianæ veritatis viventis testem, cui nomen ipsa Christi virtus & veritas HIEL indidit.* Scilicet verbum *Hiel* denotat *vitam Dei.* Familiaris quoque fuit Typographo celebri Plantino, qui omnes ejusdem libros Belgice & Gallice indefesso studio, eoque nitore & ea pulchritudine, queis peritus hic Typographus sua perficere consueverat, impressit; quibus tamen nomen suum haud apposuit, sicut neque tempus nec locum impressionis, sine dubio *propter metum Judæorum,* & veritus ne molestas sibi turbas arcesse-

ret.

ret. Originale Belgicum longe antecellit Versioni Gallicæ, obsoletæ & non exactæ fatis sensum reddentis: at utrumque non nisi rarissime invenitur. Anno 1692. Amstelodami iterum prælo subjecerunt ejusdem Belgicas *Explicationes figurarum Biblicarum*; & tribus quatuorve annis ante, *omnia ipsius opera* ibidem Germanice reddita & publica luce donata sunt, quæ ad septem vel octo volumina in *octavo* redigi possunt, quorum illud quod inscribitur *Thesaurus absconditus* primas tenet: Ejusdem *Capita Fundamentalia* substantiam argumenti succincte continent: *Epistolæ* ipsius, in tres partes divisæ, cum quibusdam dialogis, maxime perspicua pars sunt & familiarior: & *Expositio figurarum Biblicarum*, ac *Apocalypseos*, ut & *prima* ac *octava pars Thesauri absconditi*, præ aliis maxime allegoricæ.

(58) Theologi Allegorici aut Symbolici, in quantum explicationes illorum ad mere interna tendunt, ejusdem characteri ab hac parte appropinquant: quales sunt ORIGENES multis in locis: AUGUSTINUS ultimo *Confessionum* suarum libro: ARNOBIUS junior, quinti seculi Auctor, ma-

§. 58.

xima parte suorum *Commentariorum* Latinorum in Psalmos, Anno 1560. Basileæ editorum: HESYCHIUS, Auctor septimi (quinti, secundum alios) seculi, cujus septem libri in *Leviticum* itidem Basileæ Anno 1527. in lucem prodierunt. Huc quoque referenda pars *Mysterii Magni* J. BOHEMII, ut taceam nonnullos alios, non admodum magno numero, quia plurimi eorum, quos Maximilianus Sandæus memorat in *Theologia* (a) sua symbolica, nil minus sunt quam Explicatores sensuum interiorū. Ast Doctor PORDÆGE, cujus *Tractatum* qui inscribitur *Sophia* Amstelodami Anno 1699. Germanice evulgarunt, singulariter in isto characterē excellit, æque ac Matrona Anglica Joanna Leade, in non paucis opusculorum suorum, quorum supra jam facta mentio.

(a) *Lib. 6.*
com. 5.

XII. ANONYMUS BELGA.

§. 59. (59.) Quod attinet ad Anonymum Belgam (quem eundem esse ajunt qui sæpe designatur per litteras (a) D. G. aut D. J.) tuum potius est de ejusdem contentis & characterē judicium proferre quam meum, quippe qui vetus idioma ejusdem

(a) *Credetur esse David Georgius.*

librorum vix intelligere possum, ac non nisi paucos eorum evolverim. Quapropter velim ut quis hoc nomine alios potius, qui omnes istos libros legerunt, consulat, quam ad ea, quæ proprio Marte de iis expromere possem, attendat. Quod si autem sententiam eorum, quos ad judicandum de Auctore hoc aptos credidi, & a quibus ecquid de ipso sentiendum, sum sciscitatus, percipere cupias, ecce methodo plane historica eadem tibi hic narrare aggredior.

Seculum jam effluxit & amplius, quando Vir quidam eruditus, qui perfectam Auctoris hujusce ejusdemque Scriptorum notitiam tenere visus est, exiguum edidit compendium substantiam doctrinæ ejus comprehendens, quæ tota huc redit.

1. Reducere mortales ad veram cognitionem & verum cultum Dei; a quo omnes aberraverant, dum nonnulli cultum istum consistere credebant in quibusdam actibus moralibus & officiis mere humanis, civilibus & pharisaïcis; alii, in observatione quarundam externarum Ceremoniarum, junctarum speculationibus, persuasionibus & applicationibus mere idealibus: quum ta-

men

men verum Cultum in hoc situm esse constet, ut quis Optimo Maximo offerat suum Cor, suos sensus, suas cogitationes, suas proclivitates & Vitam suam, ut ipse sit & principium & finis eorum omnium quæ quis efficit & efficere desiderat.

2. Ut eo perveniatur necesse esse hominem cognoscere horrendam voraginem universalis corruptionis, cui est immerfus tum per labem originariam, tum per peccatorum actualium & habitualium fordes; necesse porro esse, hominem eandem corruptionem fateri, sentire, deplorare, & ejus causa gemere coram Deo, quærendo constanter ac serio realem liberationem in Jesu Christo, cujus gratia & spiritus animum ejus occupare debeant, ibidemque mali eruptiones comprimere, imo radices ejus evellere, novam vitam excitare in fide, sanctitate, justitia, & charitate; quo mens & animus adeo rebus cœlestibus flagrent, ut imposterum ubique Divinum Numen venerari annitens, nihil quidquam vel cogitare, vel ore efferre, vel opere patrare sustineat, quod tantæ Majestatis conspectu queat esse indignum. Atque hoc demum pacto

hominem subsistere posse coram Deo in terribili Judicio, cui in universum Orbem exercendo sese accingit summa illa Justitia ad exterminandum malum & restaurationem Boni.

3. Hisce absolvitur substantia eorum, quæ Auctor iste commendat; quod ad opiniones autem particulares attinet, & quæ ad salutem minus sunt necessariae, verbi gratia, de natura Angelorum, Dæmonum, Inferni, de loco Cœli beatorum, & similibus, nemini suas ille obtrudit, at liberum cuivis relinquit de his ea credendi quæ in Scriptura S. animadvertet secundum mensuram luminis sui. Et revera, maxime pars SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ omnis generis diversas opiniones fovet, imo & erroneas, circa eadem argumenta, neque ii tamen propterea in minori pretio fuerunt, aut eosdem quivis ideo minus toleravit. Quod ad Conventus & Ceremonias sacras attinet, bonum esse judicavit Auctor, iisdem uti, tam ad proprios, quam infirmorum, in pietatis curriculo progressus.

Scriptor supra memoratus compendii, addit, se nunquam evolvisse Aucto-

ctorem, qui tanta vi & efficacia atque hic noster scripserit, licet omnes qui in Ecclesia Christiana æstimantur, satis diligenter sit perscrutatus.

§. 60. (60.) Juris-Consultus *Werdenhagen* in præfatione Latinæ *Introductionis* suæ in libros Bodini de Republica; & *Christianus HOBURGIUS* Ecclesiastes e Protestantibus Germaniæ, qui inter alia *Theologiam Mysticam & Christum ignotum* edidit, ubi quædam de Auctore hoc præfatur; ambo hi de eodem nostro tanquam Viro lumine cœlesti perspicacissimo loquuntur. Pius ille & eruditus *CASTALIO* consilia ab ipso solebat petere circa sensum Bibliorum, quæ Latine reddebat, & quorum præfationem nonnisi eo consulto in commune conferebat.

Plurimos alios audivi eodem modo judicantes, postquam omnia ejus opera perlegerant, & qui cæteroquin valebant ingenio, pietate, eruditione ac scientia omnimoda, idque insigniter. Novi non paucos, qui ea inspicere non poterant, quin mox intima animi præpeccatorum dolore commoverentur, inflammarentur, admiratione percussi: Sunt qui characterem Auctoris hujus
mi-

mihi hisce terminis depinxerunt: "Di-
 "vinus hic Vir omni molimine annifus
 "est inculcare animabus primarium
 "hoc veri Christianismi principium,
 "scilicet, per experientiam in lumine
 "Divino cognoscere corruptionis &
 "miseriæ nostræ abyssum; propterea
 "intime dolere, cum interiori & ar-
 "denti desiderio boni, & sincero odio
 "mali, & porro firmiter credere ne-
 "minem ab hoc liberari, & illud af-
 "sequi posse, nisi per gratiam Jesu
 "Christi in nobis habitantis & ope-
 "rantis. Idem hunc Auctorem inter
 Scripturæ Interpretes primas tenere ju-
 dicabat. Quod ad me attinet, possum
 sancte asseverare, me nil in ejusdem
 quæ evolvi operibus offendisse nisi
 pium ac mox memoratis penitus con-
 forme. Quod si cui lubeat sese ipsum
 de fundo hujus Auctoris reddere cer-
 tiorem, solummodo perlustret ejus-
 dem *Epistolas*, aut quatuor ipsius *Ma-
 nualia*; sicut & excerptiones, quas nu-
 perrime e Scriptis ejus publico dedit
 Dn. Arnoldi, Professor quondam Gief-
 fensis, in Germanica sua Ecclesiæ &
 hæresium historia, quæ jam in lucem
 prodiit.

§. 61.

(61.) HERMANNUS HERBERTS, Ecclesiastes Reformatorum Goudanus ab hinc seculo & ultra, mentem & characterem Auctoris nostri abunde exprimit in præclaro Tractatu Belgico quem edidit Anno 1584. cum inscriptione, *Brevis Expositio Verborum S. Pauli Rom. 2, 28. Ille non est Judæus, qui extrinsecus talis est, &c.* qui tractatus quoddam est Systema Theologiæ positivæ (cum venia Voetii in sua *Bibliotheca Studiosi Theol.*) solidissimum & utilissimum, & cujus insignem fecit Apologiam Anno 1591. Multum ipsi profuerant scripta Anonymi nostri; imo (ceu perhibetur) publicationem plurimorum istorum iterum iterumque ipse promoverat.

§. 62.

(62.) E Veteribus eodem characterem comparet S. EPHREM, natione Syrus & Diaconus Edeffenus Seculo quarto; Vir quem tota Ecclesia Christiana & venerari & admirari nunquam desinit, & de quo Chrysofostomus: (a) *Ubi Syrus ille Ephrem magnus, obtorpescentium excitator; juvenum disciplina, instructor, atque exhortator; Monachorum speculum; dux penitentium; framea ac spiculum adversus hæreticos; virtutum receptaculum, & Spiritus Sancti habitaculum atque diversorium?*

(a) Chrysofost. in Ser-
mone de
Pseudo-
proph. in
Operib. S.
Ephrem,
Edit. Col.
1675. pag.
804.

Erat sanctus ille (æque ac Anonymus noster illiteratus & indoctus , attamen Spiritus S. menti & cordi ejus instillaverat substantiam , imo ipsa quoque verba totius Scripturæ S. ipsique linguam concesserat quæ eandem & exponerat & aliorum cordibus imprimebat tantâ efficacîâ , quam nulla neque naturalis neque studio exculta facundia attingere poterat ; prout divina ejusdem opera clarissime commonstrant , quæ revera nil sunt nisi contextus substantiæ & terminorum Sacri Codicis , extendens , ut spiritum contritionis in animos revocet , mortales a malo severissime abducat , eosdemque ad bonum fortiter impellat , per omnis generis incitamenta , timoris , spei & amoris , quæ animo quis comprehendere possit. Tanti quoque illa ejusdem Opera fiebant , ut in Ecclesiis Orientalibus publice legerentur. Habetur eorum Versio Latina aliquoties sub incudem revocata , & ultima vice , Anno 1675. Coloniae. *Testamentum* ejus , cum quibusdam ejusdem opusculis , antehac antiquo idiomate Gallico prodiit : at novam illius Interpretationem dedit P. Lallemandus , Cancellarius Universitatis Pa-

rifiensis, in libro Gallico de *Morte Justorum* Anno 1673. typis impresso. In Vitis pariter Patrum tum editionis Rosweydianæ, tum translationis Andillianæ, reperitur tractatus ejusdem S. Ephrem, qui est: *Vita S. Abrahami ejusdemque Fratris Filie pœnitentis.*

§. 63. (63.) Alius e Veteribus eodem spiritu & caractere imbutus, fuit magnus & Divinus ille S. MACARIUS Ægyptius, coævus Sancti Ephrem, solitarius, & discipulus S. Antonii, quamquam indoctus, tamen potens in miraculis, in virtutibus, & in verbis. *Quinquaginta ejus Homiliae*, quæ extant, omnibus ex Antiquitate sacris operibus, meo arbitrato, longe antecellunt. Spiritu S. dictante videntur scriptæ, earumque lectione saturari vix poterit piæ mens, sicut & opusculorum ejus, in quibus idem character elucet. Clarissime sentitur, Spiritum Summi Numinis ibidem detegere incredibilem miseriam & captivitatem hominis sub peccato & Dæmone; media inde emergendi per Christum & reviviscendi in ejusdem Spiritu, qui postea animas victrices regit, atque in ipsis operatio-

nes & gratiarum dona producit quæ non novit mundus. Superfluum foret eos, qui in regno spirituali oculati sunt, monere, in scriptis Macarii reperiri totius Theologiæ Mysticæ substantiam, ne exceptis quidem terminis, præ quibus obstupescunt ii, queis divina hæc Theologia eo minus sapit, quo magis ad eam inidonei redduntur per tenebras corruptæ rationis suæ, & per affectuum suorum turbulentas fæces.

Morellus Parisiis Anno 1599. Græcam harum Homiliarum editionem evulgavit, sicut & separatim translationem Latinam, quæ Græcâ est emendatior; contra vero in Editione Græco-Latina Francofurtensi 1594. Eadem præterea prodire Parisiis in fol. Anno 1623. cum operibus aliorum duorum (a) Patrum Græcorum. Opusculorum ejus Græco-Latinorum editio debetur P. Possino, qui eadem emisit Parisiis & Tolosæ Anno 1684. in suo *Thesauro Ascetico*. At cura Dn. Pritii in vulgus exiit optima & perfectissima Editio omnium S. Macarii Operum non ita pridem Lipsiæ Anno 1698. & 1699. quæ aliis editionibus præferenda est, tum ob accuratorem, qua ipse Ho-

(a) Scilicet Gregorii Neocæsariensis, & Basilii Seleucia Episcopi.

miliarum & Opusculorum textum Græcum emendavit, & Versionem Latinam correxit, tum ob additiones apophthegmatum, omniumque eorum quæ alibi ejusdem Patris occurrunt in Casiano, Rosweydo, & in *Monumentis* Dn. Cotelerii.

Verterunt & publica luce donarunt ejusdem Homilias Belgice Antwerpia Anno 1580. Et nuper (Anno 1696.) Dn. Arnoldi easdem Germanice redditas prælo commisit Lipsiæ, ubi & de novo impressæ sunt Anno 1699. cum ejus opusculis & quibusdam apophthegmatibus, at sine illis Dn. Cotelerii, quæ in Editione D. Pritii comparent. Optandum foret, Sancti hujus Auctoris Translationem Gallicam extare in salutarem usum omnium eorum qui promovendo vero Christianismo favent.

XIII. MARGARITA EVANGELICA.

§. 64. (64.) Vere anonymus est hicce Liber; & fallitur Sandæus quando Eschio, Sacerdoti Antverpiensi, eundem attribuit, qui tamen nonnisi istius edi-

editor est. Composuit eum sancta quædam Virgo, quæ pro caractere & primario Doctrinæ suæ fundamento tenet assiduam Dei in Anima præsentiam, sicut Solis in Cælo, ad tenebras & omnia mala dissipanda, & ad implendum istius fundum beatitudine æterna, per actionem Patris in Memoriam, qua hæc ad assiduam & vividam Dei recordationem impellitur; per Filii actionem in Intellectum, illuminando hunc vivo & salutari Veritatis lumine; denique per actionem Spiritus S. in Voluntatem, Amoris Divini ignem sancte huic inspirando: & hæc quidem omnia virtute meritorum & intercessionis Spiritus læti, Animæ afflictæ & Corporis mortificati ac mortui Jesu Christi; ut imitando eum in via Amoris, abstinentiæ, & dolorum, Deus gaudio, pace, voluptate & oblectamento æterno in nobis fruatur. Quibus Principiis sancta hæc Virgo ubique innititur, inculcatque & extendit ea vivo ardore totoque pectore. Inveniuntur in hoc libro plurimæ insignes Veritates, & non pauca magni momenti principia de fundo & facultatibus animæ, deque præsentia Dei, & ejusdem operationibus, &c.

quæ alibi rarius occurrunt, & plurimum faciunt ad solvendas difficultates quasdam graviores de Vita interiori & de Theologia Mystica.

§. 65.

(*) *Glatz.*
1676.

(65.) Sæpius sub incudem revocata est Margarita Evangelica, Gallica, Latina, Germanica* & Belgica lingua. Editio Gallica Patribus de *Bourg-Fontaine* Parisiensibus debetur, integro seculo antiquior. Formarunt eam secundum Editionem Latinam *Colonensem* Anni 1545, quæ tamen non est verum Originale, sed translatio *Eschii*, in qua mutatus est ordo, tribus ejusdem partibus ad quatuor revocatis: omnium tamen maxima variatio in eo consistit, quod, metu ne offenderentur sapientes hujus mundi, declarando e cujus calamo hic liber prodierit, Virginis inquam; non solum primam præfationem omiserint, sed & terminos fæmininos converterunt in masculinos sub finem, ubi primus editor *Belga* (qui idem *Eschius* esse creditur) agnoscit, conversionem suam ad Deum adminiculo istius Virginis esse tactam, quam *Dei Sponsam, Ancillam & Amicam* nominat: quarum vocum loco subrogarunt terminos masculinos *Servi & A-*

mici: ac si pudendum foret, fastidiosis hujus seculi sapientibus ob oculos ponere Veritatem a fœmina profectam, quum tamen Spiritus S. communiter mentes sequioris sexus promptius occupare soleat quam inflata Doctorculorum cerebella; quod illæ scientiarum humanarum quisquiliis minus sint irretitæ, magis vero dociles & ad pietatem proclives quam eruditorum animi; quorum inanem sapientiam perdere, eorumque arrogantiam & superbiam reprimere lubet Divino Numini per media proposito suo adeo conformia, & tam ad mortificationem elatorum hominum apta. Quicquid sit, ea quæ idem Eschius in prima præfatione antiquæ cujusdam Belgicæ & originariæ Antverpiensis (1548.) Editionis huc pertinentia memorat, rem extra omne ponunt dubium, & merentur hic extare ad reparandam (sine quo minime foret opportunum) suppressionem eorum in Gallica & Latina Editione.

”(66.) Hic Liber (inquit,) conscri- §. 66.
 ”ptus est a Virgine, quæ virtutibus ex-
 ”celluit, Divino Spiritu afflata, & per
 ”propriam experientiam edocta. Jam
 ”a prima juventute Regi Gloriæ sese

” consecraverat, cujus vestigia constan-
” ter sequebatur ad mortem usque per
” omnis generis vias dulces & amaras.
” Vivebat cum Patre suo, ubi per obe-
” dientiam Patri cuidam Spirituali præ-
” stitam, per jejunia, per preces, vi-
” giliis, aliasque pœnitentiæ afflictatio-
” nes, carnem Spiritui subjiciebat. Por-
” ro per plurimas & notabiles inimici
” tentationes, per virilem renixum, per
” mortes non paucas spirituales earum-
” que amaritudines, & per ardentissi-
” mas preces, gratiæ Divinæ auxilio
” affectuum & tentationum fluctus com-
” pescuit, imo vicit, sicque insignes
” virtutum thesauros acquisivit. Sæpius
” deinde mentis suæ commercio cum
” Deo adeo immorabatur, ut negotia
” domestica, tempus quietis, ac reli-
” qua oblivisceretur. Perpetua cordis
” sui custodia ad servandam ejus purita-
” tem, faciebat ut lumine & gaudio
” Divino tam esset plena, ut cætera om-
” nia e mente ejus evanescerent. Sicut
” Aurum igne, sic illa in crucibulo af-
” flictionum, contentûs, & persecu-
” tionum tam a devotis quam munda-
” nis, probata est; atque tum illa per-
” petim preces fundebat, constanter
” per-

” persistens in occulto tramite in quem
 ” ipsam duxerat Deus, semper beni-
 ” gna, semper comis, nunquam non læta,
 ” & Deum orans pro iis qui ipsam affli-
 ” gebant. Solus ille Deus internorum
 ” dolorum, quos ob aberrationem mor-
 ” talium & animarum interitum illa sen-
 ” sit, acerbiter pernovit. Quotidie
 ” pascebatur Corpore Christi, innixa de-
 ” siderio & meritis Amati sui; omniaque
 ” ejus Exercitia illuc solum tendebant,
 ” ut Divinum Numen in ipsa gloriam,
 ” pacem, voluptatem & oblectamen-
 ” tum invenire posset; id quod iterum
 ” iterumque repetebat, imo instante
 ” mortis suæ hora ad Deum sese conver-
 ” tens, sic exclamabat: *O Domine, utinam*
 ” *gaudium, utinam pacem, & oblectamen-*
 ” *tum in me capias!* quibus verbis spiri-
 ” tum suum suaviter Deo suo (cum quo
 ” jam unita erat) reddebat die 28. Ja-
 ” nuarii Anno 1540. qui septuagesimus
 ” septimus suæ ætatis erat.

Quamvis ejusdem Liber sæpe in lu-
 cem fuerit emissus, tamen nunc raro
 satis occurrit. Ultima editio Belgica
 prodiit Antverpiæ Anno 1629. Atque
 hæc omnium est & nitidissima & fide-
 lissima. Nescio an idiomate Gallico e-

legantiori comparuerit, quum prioris editionis stylus jam inusitatus sit & obsoletus.

Quia liber iste non solum vitam passivam & contemplativam, sed & quæ ad vitam activam & asceticam sunt, complectitur, ad quam quidem plures quam ad alteram sunt idonei, & de qua plures quoque Auctores egerunt quam de altera; hinc a proposito nostro haud erit alienum, hacce occasione quosdam, illorum Auctorum memorare, qui vel postremum vitæ genus, vel utrumque commendarunt.

§. 67. (67.) Nemo est qui nesciat, quantæ utilitatis sit THOMAS a KEMPIS, seu libellus de *Imitatione CHRISTI*, pro iis, qui in se ipsos descendere, principia Evangelica amplecti, ac omnium bonorum Auctori per Cordis viam, methodi artificialis nesciam, sese tradere cupiunt. Urget ille imprimis animum a cunctis rebus, imo a seipso solutum, seque Deo integre ac sine ulla exceptione offerentem. Superfluum foret narrare Translationes & Editiones Opusculi adeo ubique noti, cujus quatuor libri in usum Protestantium Gallicâ linguâ nuper publica luce sunt donati,

cum

cum inscriptione *Kempis Commun.* Qui amant Gallicam poësin, eligere debent Paraphrasin Cornelii præ illa Joannis Maresii in tetraſtichon redacta.

Poëticæ dum fit mentio, nominandus etiam *Malavallius*, quippe qui Anno 1671. Parisiis egregia *Carmina Spiritu-
alia*, omnis generis argumenta, quin Con-
templationem etiam describentia, in
publicum emisit. Omnibus tamen quan-
tum ad Poëseos artificium, antecellunt
ea quæ edidit Dn. DE BREBEUF, titu-
lo, *Entretiens Solitaires*, quæ sunt argu-
menti Christiano homine dignissimi; ;
quamvis Epistola quædam dedicatoria,
& errores iteratæ impressionis Anni
1671. aliquam ipsis faciant injuriam.
Versificatio Gallica *Canticorum spiritua-
lium de Amore Divino*, Parisiis Anno
1669. & Rothomagi Anno 1687. edi-
torum, non est quidem valde Poëtica:
at maxime sublimes Vitæ Myſticæ gra-
dus ibi passim optime sunt expressi, &
imprimis in mirabili illo Cantico X. par-
tis primæ.

(68.) *Pugna Spiritualis*, alius præcla- §. 68.
rissimus libellus, quem plurimi tribuunt
P. LAURENTIO SCUPOLI, Theatino,
est Manuale convenientissimum iis, qui
ad

ad Deum per viam Cordis aspirantes, unà distinctam quandam perceptionem ei jungere, & ordine ac per principia progredi desiderant. Comprehendit totum negotium quatuor primariis capitibus, quæ sunt, Diffidentia sui ipsius, Confidentia in Deum, Preces, & Exercitium; seu rectus facultatum nostrarum usus. Circa quodlibet horum capitum sapientissimas in medium producit regulas, facillime animo imprimendas, quia ordo admodum perspicuus, quem observavit, magno memoriæ est adjumento. S. Franciscus *Salesius* libellum hunc præ omnibus aliis commendabat, eumque Directorem suum appellabat. Optima & maxime completa ejusdem Editio non 33. sed 66. capita tenet, cum annexo tractatulo *de doloribus mentalibus Christi*, cujus jam supra mentio facta est, & quem præcedit alius excellentissimus, qui secundum nonnullos inscribitur *de pace* (aut *de quiete*) *anime*, & secundum alios, *Semita Paradisi*; cujus versiones, seorsim factas, ex Hispanico in Belgicum & in Anglicum, tribuunt P. JOANNI DE BONILLA, Franciscano. Duo hi libri annexi sunt huic nostro Gallice verso & dicto,

Etō, *Le Combat Spirituel*, in translatione & Editione P. Mazotti Parisiis non semel impressa; quamvis illa P. Brignonnii Anni 1688. inter Gallicas elegantissima & nuper Bruxellis sub incudem revocata, isthoc tractatulo de *doloribus mentalibus* careat. Prodiit hicce libellus L. Scupuli Latine Parisiis 1665. Belgice, pluribusque aliis linguis, alibi.

(69.) Simillimum parvum Manuale, §. 69. est de vera Deo apte serviendi Methodo, ALPHONSI (MADRILIENSIS) Franciscani, opusculum exquisitum, solidum, ad praxin plane accommodatum, medullam pietatis continens, methodicum, & juxta cujusvis captum. Scopus ejusdem & contenta, huc redeunt, ut quis gloriæ & voluntatis Divinæ causa, & agnoscendo nihil nos esse tum quod ad naturam tum propter lapsum & peccatum, servitio Dei animum applicet, imprimis per exercitium facultatum nostrarum spiritualium desiderii & libertatis, pœnitentiam faciendo, odium adversus seipsum gerendo, assidue orando, humilitatem & patientiam J. Christi discendo, & affectuum motus coërcendo, quo sic ad purum Dei amorem perveniat, ut & legitimum proximi ac sui ipsius se-

secundum Deum & propter ipsum. Hispanice hic Auctor scripsit, indeque Latinus Coloniae 1625. &c. Gallicus, Belgicus, aliis in locis ac temporibus aliquoties comparuit. Vix tamen amplius reperitur.

§. 70.

(70.) Inter anonyma opuscula quoque est *Theologia Germanica*, antiquus, celebris, maxime radicalis & exquisitissimus libellus, qui nil fere quam mera Christianae maxime interioris & practicae Theologiae principia continet. Deum esse omnia, hominem esse nihil, malum appropriationis, abnegatio sui & reliquorum omnium; tum discrimen veri & falsi luminis, verae & falsa libertatis, puri & mercenarii amoris, constituunt argumentum, de quo ibidem agitur, sine notabili quidem methodo, attamen tali ratione quae intimae soliditatis & ab anima a Deo illuminata profecta esse sentitur. Germanice scriptus est hic libellus, ab Equite Teutonico, atque in ea lingua a Luthero, Arndio, aliisque, insigni cum elogio editus: Conversus dein Belgice, impressusque Antverpiae apud Plantinum cum approbatione Censoris Sylvestri Pardo 1590. Paulo ante idem Plantinus eum publicaverat in Latin-

tinum idioma a *Castalione* (sub nomine Joannis Theophili) conversum. Anno 1558. Quam editionem iterandam curarunt Religiosi quidam Lugduni, 1655. Prodiit nuper nova ejus Interpretatio Gallica, Amstelodami 1700. sub titulo *La Theologie Réelle, ou Germanique*, edita, cujus Præfatio (in qua & Theologiæ Mysticæ Apologia singularis inest) plura suppeditabit particularia. Germanus quidam ejus Editor, Celeberrimus JOANNES ARNDIUS, olim in Ducatu Luneburgensi Superintendens, sensum ac spiritum istius libelli egregie hauserat, æque ac S. Macarii, quem memoria tenebat, necnon etiam Tauleri, ceu e cunctis ejusdem operibus abunde liquet, & nominatim ex insigni Opere *de Vero Christianismo*, infinitis vicibus in Germania excuso, quique invenitur & Belgice, Anno 1642. &c. imo & Latine, editionis Francofurtensis Anno 1658. Ubique idem magni fit ob modum valde perspicuum, quo solidam pietatem & Vitam vere Christianam proponit, nunquam Scripturæ S. terminis ac auctoritate neglectis.

(71.) P. ALEXIS DE SALO, Capuci- §. 71.
nus, praxin Præcepti Christi in Theo-
lo-

logia Germanica adeo commendati, quod ad ejus imitationem *seipsum abnegare oporteat*, in sua *Certa Paradisi Via* circa omnia exercendam urget, idque respectu omnium sensuum, affectuum, proclivitatum, & in cunctis mentis nostræ actibus. Omnia etiam quæ inculcat, genuinis & simplicissimis exemplis stabilire fatagit. Liber ejus ex Italico in Gallicum translatus Lugduni est impressus Anno 1620. Duaci 1627. &c. Scripsit & alium librum, titulo *Artis pie amandi*, editum Colon. 1630.

§. 72.

(72.) P. JUSTUS LANSBERGIUS, Carthusianus, qui abhinc seculo vivebat, solide & efficaci methodo de interioribus & spiritualibus pietatis & veræ devotionis scripsit. Opera ejus, nuper de novo sub incudem revocata Latine, Coloniae 1693. duobus constant voluminibus (in quarto) & quinque partibus, quarum priores tres sunt *Sermones* ut vocant Dominicales, item in dies festos, & in historiam Passionis: reliquæ duæ sunt *tractatus aliquot pii, apologia Vitæ Monastica, Epistola, & devota Carmina*. Methodicus & exacte textui suo est affixus in Sermonibus suis, sensus interioris & allegorici assidue memor. Tra-
cta-

Statuum ipsius piorum duos in Gallicum Sermonem tersum & purum paucis abhinc annis verterunt; quorum unus de *Militia Christiana*, aut *Pugna Spirituali* agit, impressus Parisiis Anno 1670. qui utilissima præcepta comprehendit ad emendationem animorum & vitiorum maculas extergendas, virtutesque & puritatem acquirendas, quo sic ad Divinam unionem perveniatur: alter continet *Discursum Christi ad animam devotam forma Epistola*, editus Parisiis Anno 1674. atque hic tractatus nonnisi postrema pars est suæ *Amoris Divini Pharetra*. Est hic liber egregium Manuale devotionis & pietatis, imo Compendium, omnes Vitæ vere Christianæ solidiores regulas complectens. Similem quoad titulum & argumentum hifce duobus libellum confecit ERASMUS; scilicet *Enchridion Militis Christiani*, optimum revera Manuale, quamvis non adeo interiora attingat ac Lansbergiana opuscula, neque tam profundum fit.

Auctor Hispanus tractatuli, qui inscribitur *Thesaurus Anima*, & in omnes linguas, Gallicam, Belgicam, Germanicam, imo & Latinam versus, nominatusque *Desiderius Peregrinus* (Roterodami

mi 1674.) Lansbergio haud adeo est inferior, dum sub utili non minus quam jucundo emblemate pastoris ad inveniendum Dei Amorem iter facientis, ob oculos ponit progressus animæ, quæ per Christianas virtutes, per dolores & per amorem Divinum, primitias fruitionis Dei assequitur. Patet Auctorem hunc fuisse Religiosum; & fallitur propterea Sandius quando Serveto libellum istum attribuendum esse memorat in sua Anti-Trinitariorum Bibliotheca.

Inter JOANNIS PALAFOXII Episcopi Osmani Opera Spirit. extat tractatulus titulo, *Pastor Nocturnus Nativitatis Christi* ex Hispanico versus, haud ita pridem (Anno 1698.) Parisiis & Bruxellis Gallice impressus, qui præcedentem libellum admodum jucunde & spiritualiter imitatur. Insuper hoc adhuc hic reperias: Scilicet in postremis Capitibus Pastor eadem ratione versus Mundum ducitur, ad observandum hujus spiritum, & ejusdem malum ac vanitatem agnoscenda. Quam Mundi vanitatem non minus solide depinxit DIDACUS (seu DIEGO) STELLA, Franciscanus & dein Episcopus Hispanus in libro ejusdem tituli, ubi etiam, in parte tertia,
de

de primariis Virtutibus Christianis, paucaque de *Contemplatione* memorat, methodo Kempfiana. Quum sacrae paginae in toto ejus opere abunde citentur, idque modo & perspicuo & solido, posset omnis generis omnisque ætatis lectoribus mundanis apprime inservire; attamen oporteret emendare quantum ad stylum, antiquas versiones Gallicas, Lugdunensem Anni 1580. Duacensem 1604. & similes. Latinæ Colonienses Anno 1638. 1663. & 1688. uti esse possunt iis, qui linguæ hujus periti sunt.

(73.) ALPHONSUS RODRIGUEZ, Jesuita Hispanus, circa eadem argumenta in præclaro suo *Perfectionis Christianæ Exercitio*, est occupatus, at majori prolixitate. Scripsit satis methodice per regulas & præcepta, quibus junxit insignia & aliis prælucentia exempla e Vitis Patrum, Eremitarum, aliorumque sanctorum, omnia cum insigni perspicuitate & facilitate, quæ librum hunc mire commendant atque omnibus, etiam ipsis Infantibus, longe utilissimum reddunt. Tres ex Hispanico in Gallicum versiones habentur, sub titulo *Pratique de la Perfection Chrétienne*, quarum illa,

Abbatis Marefii, Academiae Gallicae, (de-
nuo Antverpiæ Anno 1693. tribus par-
vis voluminibus secundum Editionem
Parisiensem impressa) præ aliis magni
fit. Non semel idem in Belgicum ver-
sus & publicatus Antverpiæ, ac ulti-
mo Anno 1683. Sine dubio aliis quo-
que linguis loquentem fecerunt cum
abunde mereatur. Latina ejus epito-
me prodiit Lugduni Anno 1644. Et in-
tegrum opus eadem lingua typis excu-
sum Coloniae 1657.

§. 74.

(74.) Quod ad præcepta attinet exem-
plis munita, ecce origines, quæ ingen-
tem eorum numerum suppeditant. *Vita
Patrum* collectæ per P. ROSWEYDUM,
Jesuitam, & bis Latine in lucem emis-
sæ Antverpiæ primo Anno 1615. dein
1628. auctæ quibusdam indicibus, &
insuper notis quibusdam in VIII. & X.
libros, juxta textum Græcum revisos.
Idem P. Rosweyde easdem Vitas vertit
& edidit bis Belgice eodem circiter tem-
pore; nuper etiam Germanice Franco-
furti prodierunt; & Galli, qui nonni-
si exiguam earum partem veteri suo i-
diomate habebant, eas nunc pulcher-
rima dictione ornatas tenent per Cele-
berrimum Interpretem Dn. Andillium,
qui

qui tamen nimis inde refecuit plurima-
que omittere haud dubitavit, quod
redintegrare non curaverunt tum in ite-
ratis Galliaë impressionibus, neque in
nova Antverpiensi Anno 1694. Equi-
dem insignes quasdam Vitas addidit
ille, ceu inter alias illam S. SYNCLE-
TICÆ; quam tamen longe emendatio-
rem invenias in *Monumentis* Græco-La-
tinis Dn. Cotelerii, Tom. I. & potuif-
sent merito ex iisdem monumentis
(Tom. II. & III.) addi Vitæ admira-
tione dignæ S. EUTHYMI & S.
SABÆ.

Ad eandem classẽ referenda Acta
Martyrum, dummodo vera sint ac ta-
lia prout eadem collegit P. RUINAR-
DUS in libro suo qui inscribitur *Acta*
Martyrum sincera & selecta, Parisiis excu-
sa Anno 1689. Collectanea item Galli-
ca de *Morte Justorum*, per P. Lalleman-
dum, iterato impressa in Belgio Anno
1673. secundum Editionem Parisien-
sem. Quibus adjicienda Relatio de
morte quorundam Religiosorum Con-
gregationis Trappensis, e. g. Domni
Mucii, & Comitis de *Santena*, Bruxel-
lis aliquoties sub incudem revocata.

(75.) Ejusdem quoque generis sunt §. 75.

Collationes JOANNIS CASSIANI, Presbyteri Massiliensis, qui seculo quinto nomen & existimationem sanctitatis habuit, aliquoties editæ; primo Basileæ, Anno 1559, dein Romæ, Antverpiæ, Duaci, item Atrebatii, Parisiis &c. scholiaste Gazeo. Sunt e Latino originali in Gallicum versæ, & Parisiis Anno 1665. impressæ; sed sine XIII. Collatione, quam circa argumentum de Gratia erroribus plenam esse sibi persuaserant, quamvis argumentum hoc per experientiam longe rectius & intimius cognoverit quam Censores ipsius, licet non omnes in explicatione caute- las adhibuerit queis ad avertendas liti- giosorum capitum contradictiones opus fuerat.

§. 76. (76.) Tandem *Regulæ* S. BASILII, quæ Latine seorsum excusæ sunt Parisiis, 1660, præfixo Sermone de Monachorum institutionibus: *Institutiones*, item *Ascetica* S. DOROTHEI, Abbatis Seculi sexti, e Græco in Latinum Sermonem conversæ, ac impressæ Antverpiæ 1646, & in Gallicum translatae per Abbatem Trappensem, ac prælo subjectæ Parisiis Anno 1686. *Scala sancta*, five *Scala Paradisi* S. JOANNIS CLIMACI, Pa-
tris

tris Græci, & Abbatis, ejusdem seculi, cujus extant Editiones Græco-Latinæ (Parisiis 1633.) solæ Latinæ, (primæ Rusbrochii editioni Coloniensi 1538. primum adjuncta hæc fuit,) & duæ versiones Gallicæ Andillianæ, quarum prima separatim est evulgata Parisiis Anno 1653. altera invenitur & seorsim, & annexa Vitis Patrum cum prolixis ad eandem notis Anno 1675. Huc pertinent quædam EVAGRII, quamvis incompleta, in Monumentis Græco-Latinis Dn. Cotelerii, Tom. 3. Parisiis Anno 1686. *Apophthegmata Patrum*, apud eundem. Omnes hi libri scætant præceptis admodum Divinis, & inflammantibus exemplis, simulque per reales effectus summe evincentibus, praxin Vitæ vere Christianæ pœnitentis, & spiritualis, minime esse impossibilem, neque solum imaginariam.

(77.) De eadem hac veritate certior quis fieri possit viva & salutari efficacia evolvendo plurimas alias Vitas admiratione dignas insignium omnis generis & conditionis sanctorum sanctarumque, etiam talium quorum recentior adhuc est memoria. Verum ne quædam hic scrupulosæ mentes offendantur,

tur, & prolixitas evitetur, duorum solummodo mentionem facere sufficiet, Viri nempe & Virginis. Primo igitur commendari meretur *Vita Dn. de RENTY*, cujus sublimis & divina Virtus haud ita pridem Galliam, ac totam imprimis Parisiorum Lutetiam, ni admirationem rapuit, ubi & mortalium numero ex-emptus Anno 1649. Excellentissima hæc Vita, cujus historiam evulgavit

(a) P. a S^{to}. JURIO, e Soc. Jesu, (multorum aliorum tractatum Auctoꝛ, pietate, spiritu & soliditate insignis) octies vel decies Parisiis impressam, epitome est eorum quæ maxime selecta & solida in argumento spirituali & Christianarum Virtutum occurrunt. Conspiciuntur ibidem non solum principia; sed & praxis eorum quæ veri Mystici docent de diversis animarum statibus, de amore puro, de precibus & contemplatione, similibusque aliis capitibus, quæ illic memorantur, ceu reliqua omnia, tam exacto & efficaci modo, ut lectores, licet haud multum ad talia, vel ejusmodi Vitarum lectionem fuerint dispositi, non possint non tenerime inde affici & fortiter convinci. Ecce judicium de Vita isthac Viri inter

Pro-

(a) *Le Pere*
S. Jure.

Protestantes magni nominis, qui in suspicionem vel partium vel credulitatis circa hoc argumenti genus nequit incur-
 rere: *Quocunque adhuc desiderio fabulis af-*
fixæ sint plurimorum mentes, fateri tamen
oportet, Vitam Domini de Renty nil fabulosi
redolere. Elucent inde tam præclaræ virtu-
tes, ut ille, qui easdem exercuit, merito tan-
quam unum e primariis, quæ nostro ævo Gal-
lia suppeditaverit, exemplis haberi debeat. (a) *Le*
 Verba sunt Dn. Burnetii, Episcopi *Chrétien*
 nunc Anglici Salisburiensis in præfa- *réel, ou la*
 tione sua Vitæ Dn. Halii: Quam se- *Vie du*
 cundo nominare me velle supra monui, *Marquis*
 est *Vita Matris ELISABETÆ à Puerò JESU,* *de Renty,*
 quæ neutiquam est postponenda Vi- *servant de*
 tæ Dn. de Renty; qui ipse præstantissi- *modele à la*
 mæ hujus Religiosæ dux erat, æque ac *vie vraie-*
 P. S. Jurius & Dn. Bernierius. E coetu *ment Chré-*
 mortalium eadem sublata Parisiis Anno *tienne, &*
 1677. ibidemque Anno 1688. vita e- *d' Apologie*
 jus in lucem prodiit: quæ in hisce oris *effective*
 nunc (1701.) denuo impressa est, juncta *aux maxi-*
 Vitæ Dn. de Renty, sub titulo: (a) *mes & vo-*
yeus realis, seu Vita Marchionis de Renty &c. *yes spiritu-*
 quam ut audio, Protestantes Germa- *elles de la*
 niæ Germanice versam publico expo- *vraie Theo-*
 nunt. Illa porro Baronissæ de CHAN- *logie My-*
 TAL tantæ est celebritatis, ut speciali *stique vai-*
nement
combattue
par les E-
sprits du
siècle. &c.

(b) Anno
1701.
Amstelo-
dami apud
Rud. &
Gerard.
Wetste-
nios.

commendatione minime egeat, licet in
hiscæ oris rarior sit. Hic quoque inferi
quam maxime mereretur libellus Gal-
licus nuperrime (b) evulgatus, qui in-
scribitur: *Le Saint Refuge*, aut *La Vie*
& *la Mort edificantes de Wernerus N.* in
quo raris & celeres plebeji juvenis in viis
Mysticis progressus videre est.

De reliquo, in lectione *Vitarum Pa-
trum*, non oportet mox absterri per
illas, quæ ex *Epistolis* HIERONYMI sunt
excerptæ, & in initio collocatæ; ac, ut
verum fatear, nimium affectatis Rhe-
toricæ suæ declamationibus sunt inter-
mixtæ. Illæ RUFFINI, PALLADII, THE-
ODORITI, S. SULPITII SEVERI, Col-
lectanea JOHANNIS MOSCHI, multo-
rumque aliorum, genium fovent sim-
pliciore magisque à fucò remotum.

§. 78. (78.) Quod ad Auctores attinet qui
ex professo tractarunt argumenta de *O-
ratione*, de *Meditatione*, de *Contemplatio-
ne*, & quæ inde pendent, ecce eorum
nonnullos maxime familiares & utiles.

S. PETRUS de ALCANTARA, ami-
cus & coævus S. Theresiæ, conscripsit
Tractatulum valde salutarem de *Oratione*
& de *Meditatione*, multoties Latine, (Co-
loniæ 1624. &c.) Gallice, (Insulis,
1669.

1669. &c.) aliisque linguis cum vita ejus impressum. Libellus HORSTII, *Paradisus animæ*, pluribus vicibus in publicum emissus, Coloniae, Lovanii, alibique tam Latine quam Gallice, practicum & exquisitum est Manuale, cuncta precationum argumenta tractans. Pars prima *Thalami Sponsi* MICHAELIS ZACHMORTERII, (quem non nisi Belgicum vidi, Antverpiæ Anno 1628. editum) circa idem versatur Orationis genus, æque ac prima pars *Introductionis in Vitam devotam* S. FRANCISCI SALESII, cujus totum librum plenum observamus optimis præceptis pietatis & regiminis pro omnis generis hominibus, etiam iis qui inter mundanos, imo & in aulis versantur. Hicce tractatus una cum illo de *Amore Dei* (uterque in Latinum translatus, & Coloniae impressus, alter Anno 1668. alter Anno 1697.) ejusdemque *Epistolæ* inter Auctoris hujus Opera palmam tenent, cujus character est, anniti ut vera pietatis praxis cujuslibet conditionis hominibus reddatur facilis & jucunda, & ut omnibus instilletur pax & solida devotio, id quod Auctor ille efficere studet tum per æquam quandam indul-

gen-

(a) *Juncta est Epistolis S. Clementis & S. Ignatii in iterata nova editione Graeco-Latina Lipsiensi Patrum Apostolicorum.*

S. 79.

gentiam qua sapienter sese accommodat statui animarum, tum per spiritum lenitatis plane singularis, adeo a Servatore nostro commendatum, quemque e veteribus S. CLEMENS in divina sua Epistola (*per Dn. Teissierium in Gallicum versa & Avenioni Anno 1684. impressa*) ad Corinthios, & S. POLICARPUS in sua (a) ad Philippenses, perfecte expresserunt.

(79.) P. NOUETIUS, & P. RIGOLEUCUS, Jesuitæ, egregia Gallice perscripserunt de Oratione ejusque speciebus: Ille effusius in suo *Homine Orationis*, edito Parisiis Anno 1674. Hic compendiose, in suo tractatulo cui tit: *Oratio sine illusionem*, qui de novo impressus in secunda parte Theologiæ Cordis cum inscriptione, *Compendium Theologiæ Mysticae*, & qui præterea Annis 1686. & 1690. Lutetiæ Parisiorum typis excusus est una cum aliis insignibus ejusdem Auctoris operibus, sub tit. *La Vie du P. J. RIGOLEUC, de la C. de J. avec ses traités de devotion & ses Lettres spirituelles*. In eadem parte memoratæ Theologiæ Cordis habetur exiguus Virginis cujusdam libellus *de Vita interiori*, ubi argumentum & species Orationis haud vul-

vulgari simplicitate & perspicuitate sunt
 exposita ; & magis adhuc succincte in
 quarto colloquio divini Libelli, qui di-
 citur *Pastor illuminatus*, in eadem Theo-
 logia Cordis primas paginas occupans,
 itidem Bruxellis in lucem emissus sub
 titulo *Secreta Vitæ spiritualis*, vel (a) *Pa-* (a) *Le petit*
storculus. Pauper quidam rusticus, *Berger*.
 (ceu e stylo liquet) scripsit itidem Gal-
 lice modo efficaciter permovente tra-
 ctatum de *Methodo Orationis*, seu (b) *E-* (b) *Abregé*
pitomen Agni occisi; Rhedonibus, Anno *de l'agneais*
 1669. impressum, ubi considerando *occis &c.*
 Christum in corde, tria Orationum ge-
 nera inculcat tribus vitæ spiritualis sta-
 tibus respondentia. Exiguus Dominæ
 GUIONIÆ libellus, Gallicus quoque,
 cui nomen, *Moyen court & facile pour*
faire Oraison, (*Breve & facile orandi Me-*
dium,) nuper in Hollandia (Anno
 1699.) cum præclara ejusdem *Expositio-*
ne Cantici Salomonis, de integro excu-
 sus, ibidemque in Belgicum versus &
 evulgatus; itidem, plurimorum judi-
 cio, præ aliis concisum, facillimum &
 consummatissimum de istiusmodi argu-
 mento est opusculum, licet alii aliter
 judicent. *Pro captu lectoris habent sua fata*
libelli. Ajunt utrumque Germanice
 mox

mox (Anno 1702.) in lucem venturum.

§. 80.

(80.) De Contemplatione activa, seu ordinaria, deque assiduo vivendi coram facie Dei exercitio, scripserunt sequentes: ANTONIUS ROJAS, Sacerdos Hispanus, qui in commune contulit tractatum, quem *Vita Spiritus* titulo insignitum, atque ex Hispanico Gallice reditum, prælo subjecerunt Parisiis Anno 1660. Lugduni Anno 1678. & cujus prima pars nuper Coloniae (1696.) Germanice in publicum prodiit. Celebrerrimus MALAVALLIUS Massiliensis, dedit *Praxin facilem ad Contemplationem*, Parisiis ter impressam, Romæ Italice evulgatam cura Cardinalis Estræi, & alibi Belgice. Ejusdem Continuator P. EPIPHANIUS LUDOVICUS, Abbas Estivallensis, in egregiis & solidis suis (a) *Colloquiis Mysticis*, Parisiis Anno 1676. impressis, æque ac in *Epistolis* suis: item Molinosus, Auctor celebris opusculi, *Ductor Spiritualis* dicti, in quo errores illi quos nonnemo e Protestantium numero Historico-Mysticus, si Diis placet, ibidem sese observasse sibi imaginatus est, & in Compendio ejus narrare fategit nequaquam extant, nisi quis

(a) *Conférences Mystiques.*

quis per affectum & ignorantiam fictis glossis eisdem fabricetur. Primi enim Approbatores, quorum nonnulli erant ipsi Inquisitores, nil ibidem mali detexerunt, sicut nec alii boni Viri tum inter Protestantes, qui eundem ex Italico Gallice, (Amstelodami 1688.) tum Latine (Lipsiæ 1687.) & Belgice (Rotterdam 1688.) ac dein Germanice reddiderunt, tum totius Europæ, ubi ultra viginti editiones ejus variis linguis intra sexennium prodierunt. De FratRE LAURENTIO DE RESURRECTIONE Religioso Carmelita, nuper Parisiis mortuo, Gallice quædam habemus ejusdem argumenti in ejus *Vita, Moribus, Epistolis*, ejusdemque *Colloquiis*, quæ omnia de novo sunt impressa in Hollandia & Opusculis Dominæ Gujonæ annexa; quibuscum etiam Germanice prælo subjiciuntur.

(81.) Tandem nominandus P. PINY, §. 81. Dominicanus (qui in scribendo Ecclesiæ quasi Oratorem, idque fere nimium, agit, ob Gallicum suum *Tractatum de tribus diversis modis reddendi Deum interne sibi præsentem*, scilicet per recordationem amantem Dei ejusdemque perfectionum; per adhæSIONEM amantem Voluntati ejus;

jus; perque sensibilem dolorem ob earum negligentiam. Editus is est Lugduni Anno 1685. quo pariter referri velim totam secundam Partem *Thalami Sponsi*.

Omnes, inquam, hi Auctores Contemplationi activæ seu ordinariæ, assiduoque coram Deo vivendi exercitio optime inserviunt: qua in re methodus Fr. Laurentii, quamvis indocti, omnibus antecellit per & propter ejus simplicitatem, sinceram teneritudinem, facilitatem, & soliditatem. Possit methodus hæc (ut in transitu demus ideam ejus brevem quidem at utilem & methodicam) ad duo primaria reduci capita; quæ sunt, Præsentia Divini Numinis, & media in nobis fovendi hanc exoptatam Præsentiam. Fides & Veritas ducunt nos ad hanc Divinam præsentiam, quum Deus & ubique & in nostro corde præsto sit, ubique adorari, diligere, & coli debet, tum ob excellentiam infinitarum ejus perfectionum, tum absolutum ejus in omnia dominium. Justitia (quæ vult ut cuncta ei reddantur,) & Amor (qui solum eidem placere annititur,) faciunt ut horum media amplectamur, perpetim
cum

cum sinceritate & simplicitate , ad ipsum nempe referendo omnes nostras actiones , tam internas , nimirum actus adorationis , benedictionis , laudis , precum , ac grati animi ; quam externas , sive per opera , omnia in societate Dei & secundum voluntatem ejus exequendo , ordine & cum tranquillitate , & cuncta ei offerendo ; sive per verba & discursus , ipsum alloquendo , quamvis tacite & sine strepitu , omni tempore , & occasione cujuslibet subjecti , grati & ingrati , boni & mali ; grates ipsi agendo ob horum alterum , ob alterum vero petendo vel opem vel veniam , & laudando ipsum de omnibus , imo interruptendo propterea subinde & momento occupationes , ad acquirendum in sancto hocce exercitio habitum ; id quod sicut perpetuus & facer ignis omnes nostros defectus paulatim consumet , ac vim nobis suggeret conterendi quavis occasione caput serpentis. Haud parum quoque quantum ad hoc de Præsentia Dei argumentum extolluntur *Epistolæ spirituales & Mysticæ* Cardinalis PETRUCCII , Italice excusæ Venetiis , 1681. cum ejusdem aliis operibus , quæ omnia ibidem impressa sunt , Anno 1684.

Cardinalis BONA in sua *Via Compendii ad Deum*, Latine sæpius edita, & e Latino in elegans Gallicum translata ac Bruxellis Anno 1683. impressa; ut & F. JOANNES DE S. SAMSONE in Tractatu suo de *Amore aspirativo*, qui in secunda parte Theologiæ Cordis invenitur, eo itidem tendunt, per continuarum aspirationum viam; sicut & libellus quidam Gallicus solidus & animum valde afficiens, titulo, *Methodus conversandi cum Deo*, Parisiis Anno 1685. prælo subjectus, iterumque post Lugduni & Bruxellis.

§. 82.

(a) Ubi &
omnia ejus
Opera in
folio sunt
excusa,
Anno
1684.

(82.) P. GUILLORÆUS, Jesuita, cujus sex septemve præclari in manus nostras venire Gallici Tractatus, aliquoties (a) Parisiis & Lugduni publicati; *Epistolæ Spirituales cujusdam Ecclesiastici*, collectæ per Dn. de LASSOT, & Gallice ibidem nuper quinque voluminibus in lucem emissæ, insignis & propemodum universalis possunt esse utilitatis, tam ad vitam activam & externam, quam ad internam & contemplativam. Ejusdem notæ sunt, excellens admodum *Catechismus Spiritualis* P. SURINII, Jesuitæ, aliquoties Gallice editus (ultimo Anno 1693.) Parisiis duobus vo-
lu-

luminibus; & ejus *Fundamenta Vitæ spiritualis*, Gallico quoque idiomate sæpius prælo submissa Parisiis & Leodii Annis 1667, 1679, 1697. &c. in quibus Auctor occasione plurimarum sententiarum Thomæ a Kempis (quas per quæstiones & responsiones elucidat) lectorem suum ad Vitam Spiritualem solide deducit, exponendo ejusdem primaria capita, vias ejus omnium facillimas, & impedimenta necessario evitanda, sæpius tamen haud animadversa. Parvus (a) *Catechismus Christianus Vitæ interioris* Dn. OLERII, Superioris in Seminario S. Sulpitii, non semel Parisiis, imo etiam Belgice Lovanii Anno 1686. editus, comprehendit substantiam eorum quæ promittit inscriptio, verbis & perspicuis S. Scripturæ præceptis perpetuo innixus. Habemus ab eodem Auctore *Diarium Christianum* Parisiis & Lugduni evulgatum; quod tamen necdum vidi.

(a) *Catechisme Chrétien de la vie intérieure.*

(83.) Quemadmodum Sectioni huic sanctæ Virginis Historia initium dedit, sic eandem, commemoratione aliûs Virginis hic finiamus; scilicet JOANNÆ DE CAMBRY seu CAMERACENSIS, Religiosæ in cella inclusæ Insulis, cujus *Opera*

§. 83.

Spiritualia, Gallice scripta, in vulgus exierunt. *Vita* ejus seorsum edita Antverpiæ Anno 1659. multa continet particularia haud parvi momenti circa agendi rationem Summi Numinis erga animas sibi addictas. In ejusdem Operibus, quæ junctim in lucem prodierunt Tornaci Anno 1665. de Veritatibus & praxi rerum Christianarum, interiorum & Mysticarum, non minus solide & dilucide agitur, quam in scriptis eorum, qui Eruditorum principes audiunt. Prolixior istorum Operum tractatus, *de Ruina Amoris proprii* (Parisiis seorsum impressus) totam interiorem Vitam ordine exponit, ejusdemque status (æque ac Rusbrochius in suo *Ornatu nuptiarum spiritualium*) per emblemata eorum, quæ quatuor anni temporibus successive eveniunt, depingit. Hic in quatuor libros divisus, in *primo* Amoris proprii latebras & artificia detegit, & Gratiae Divinae vim ad eadem destruenda generaliter commemorat; in *secundo*, Gratiae Dei augmentum in iis qui in Via salutis progressum faciunt, describit, plurima e Cantico Salomonis allegando; in *tertio*, privationes rigorosas, tentationes & probationes spirituales ob oculos ponit;

ponit ; & demum in *quarto* Animæ in perfecto statu restaurationem enarrat. Hi duo postremi admodum sunt sublimes, simulque longe aptissimi ad dissipandas objectiones, quas ignari e cœcitate mentis contra interiores vias haud raro expromunt. Ejus *Fax Mystica*, quæ pariter separatim (a) impressa reperitur, succincta est descriptio tam rerum quam verborum Viæ & Theologiæ Mysticæ, ac insuper epitome præceptorum pro Directoribus animarum : talia pro directione familiarum leguntur in tractatu ejus de *Reformatione Conjugii*. Ille de *Excellentia Solitudinis* imprimis solitarios respicit ; & *Exercitium quo pervenitur ad Amorem Dei*, æque solidum ac breve & methodicum, omnium usui est accommodatum ; sicut & ille qui inscribitur *Lamentatio animæ captivæ in mortali suo corpore*, ubi com- monstrat, in quocunque vitæ genere ac statu quis sit, etiam in maxime illecebroso suavique & sublimi vitæ spiri- tualis, ubique tamen lamentationum & lachrymarum causas sese offerre. E- jusdem modus res proponendi, caracte- rem gerit intimæ sinceritatis & solidæ exactitudinis, efficacissimæ ad convin-

(a) *Flambeau My-
stique, à
Tournai
1631.*

Cenda corda eorum qui ad verum bonum ex animo aspirant; cujusmodi quidem charactere communiter virorum scripta minus sunt imbuta quam foeminarum; id quod sequens articulus magis quoque confirmabit.

XIV. ANTONIA BURI- GNONIA.

§. 84. (84.) Quum Domina Bourignon minime affectet stylum aut sublimia Mysticorum argumenta; at solum inculcet modo simpliciori substantiam Doctrinae Evangelicae, abnegationem, mortificationem naturae, imitationem Christi, praxin virtutum, amorem Dei & obsequium ipsi praestandum, quo ab ejus nutu ac voluntate omnimode pendeamus; vix de eadem quicquam expromere voluissim, ni tibi lubuisset me eo instigare, ut per ejus Historiam hanc Mysticorum Characterum seriem concluderem. Proferamus ergo nonnulla de ipsa, & sic huic nimium jam prolixae Epistolae finem imponamus.

Tanta nunc mortalium animos circa aeterna torpedo oppressit, ut tantum absit eos per tot, qui ad manus ipsis sunt,
spi-

spirituales libros excitari; quin potius eorum lectione vix ullam aliam utilitatem capiant, quam sterilem contemplationem, pro mentis exercitio, quo intellectum suaviter demulcent; interea sibi ipsis de statu spirituali blandientes sub prætextu quod lectis paginis cum sensus & proclivitas aliqua dulcedine adstipulentur. Hic profecto ad regnantem eam ubi vis somnolentiam excutiendam, fulmineo quodam Omnipotentis ictu ac fragore divino opus erat, quo & dormitatoribus istis, illa omnia non esse nisi mere emortua, patefieret, & ipsi e profundissimo lethargo suo excitati, imminere sibi interitum planissime comprehenderent, ni sine mora vitæ suæ regimen immutaverint. Et certe videtur Optimus Maximus ictum fragoremque istiusmodi specialem per Dnæ. Bourignonæ scripta edidisse, quæ revera attentis Lectoribus notabiles animi motus imprimunt; imo eos qui veritates ibi contentas bono animo suscipiunt, peculiari vi, ac lumine generaliter admodum salutari imbuunt. Quamvis ipsa, ceu mox innui, nequicquam arte aut studio confectetur argumenta aut dictiones mysticorum Auctorum;

tamen ejus' Scripta passim eorum substantiam, & solida fundamenta comprehendunt, eorundemque sensum mirre detegunt; ac ipsorum, imo & omnium cujusque generis spiritualium librorum respectu, idem operantur, quod Solis radii circa omnes terræ plantas; quæ licet in se viventes, durante tamen frigida anni intemperie quasi mortuæ nil quicquam nobis utilitatis impertiunt, at appropinquante igneo hocce Sidere, (cujus luminosa vis ubique modo æque simplici & facili, æque puro, æque universali ac benigno & benefico sese insinuat) de novo incipiunt aperiri, virescere, & fructuum largitione nobis demum prodesse. Eodem pacto tam amplâ nunc in animarum spirituali elemento mundove frigoris regnante vehementiâ, ut primariæ & maximi momenti ac usus quorumlibet Scriptorum, ipsiusque S. Scripturæ veritates, tanquam gelu rigidæ & emortuæ, ipsis redditæ sint penitus inutiles; jam eædem hæ veritates per Scripta hujus Virginis & reviviscere, & referari, & fertilitatem induere videntur, quando simul in illis non solum nota & cum aliis communia, sed & plurima nova &

hucusque incognita, vivaque & salutaria, peculiariter commemorantur.

(85.) Ecce igitur verum eorundem characterem. Pollent vi luminosa, libera, ingenua, benigna, solida, simplici, facili, eaque utilitatis generalis, & secundum cujusvis, etiam parvulorum captum; vi, inquam, a partibus aliena, pura, imos animæ recessus commovente; quæque vivide in omnibus rerum circumstantiis sinceras animas ad reales & speciales boni regiminis, pœnitentiæ, desertionis mundi mundanarumque affectionum, abnegationis sui ipsius, Amoris Dei actus determinat, & quo pacto per traditionem nostræ voluntatis in manus Domini, ab eo intotum pendere oporteat, quo ipse solus Sapiens dominium in nos resumens, sicut ante lapsum in Adamum, impofterum omnia secundum divinam suam voluntatem & restauret, & penitus dirigat.

In pluribus aliis scriptis, quanquam egregiis, sæpe non occurrunt nisi generalia, imo taliter disposita, ut, si quis ad specialem eorum praxin animum applicare conetur, vix dignoscat qua ratione illam ordiri possit vel debeat. Hic autem lector extra omne dubium o-

mnemque hæſitationem trahitur, & ſinguli quaſi ob oculos ponuntur paſſus, per quos incedere oportet; ſentit ſeſe manu quaſi ad opus exequendum duci, & interius modo haud ordinario inflam- mari. Præterea inveniuntur ibi expli- cationes & lumina minime vulgaria cir- ca maximi momenti principia de Poten- tia, Bonitate, Juſtitia, Veritate & Sapientia Dei; circa glorioſam Mundi & Hominis Creationem; hujus Lapſum & deplorandam infinitamque corruptio- nem; porro de Chriſto, ejuſdem nati- vitate ex Adamo, functionibus, ejuſdem Regno; item de Regno Anti-Chriſti, de veri Chriſtianismi defectu in omni- bus Religionum ſocietatibus Doctōrum Ductōrumque culpa, de impiorum de- ſtructione, ac Eccleſiæ & Mundi Re- novatione. Comprehendunt efficaces iſti libri eſſentiam Religionis & Vir- tutis, ab accēſſoriis harum bene diſtin- ctam; & inutilium controverſiarum ac pernicioſarum hæreſium deletionem; regimen ubique obſervandum: porro ſalutarem in animos revocant inquietu- dinem, qua nos urgeri oportet quam- diu Deo haud omnimode nos ſubjeci- mus; detegunt pariter fraudes humani
cordis

cordis in omnibus, in iis præcipue qui ficta pietatis imagine fucum faciunt; quique cum insignem omnis generis spiritualium & mysticorum librorum æstimationem affectent, coram illis tamen persistere nequiverunt, solos quippe infestis oculis aspicientes, ab iisque omnes alios itidem alienos reddere optantes, idque tecte nonnulli, alii vero magis aperte. Scilicet animadvertunt, clarissimas istorum librorum veritates ipsos de spiritualis quam præ se ferunt dignitatis gradu dejicere, & ut coram ipsorum aliorumque oculis appareant plane alii, ac sibi hucusque persuaserunt, efficere.

(86.) Opera A. Burignonæ, quæ §. 86.
 Amstelodami fuere impressa, partim
 dum adhuc viveret, partim post ejus
 obitum (qui contigit Anno 1680.) sunt
 sequentia: *Vita ejus cum præfatione apolo-*
getica. Lux Mundi; Lux nata in tene-
bris; Tumulus falsæ Theologiæ; Solida Vir-
tus; Renovatio Spiritus Evangelici; Testi-
monium Veritatis; Lapis Lydius; Moni-
tum contra Quakeros; Anti-Christus dete-
ctus; Novum Cælum & Nova Terra; A-
cademia Theologorum; Ultima Dei Miseri-
cordia; Sanctum Conspicillum; Vocatio Dei,
prima

prima pars; quæ omnia Gallice, Germanice & Belgice extant; porro, *Cæcitas hodiernorum hominum*, *Stella matutina*, & *Consilia salutaria*, quæ Gallice tantum & Belgice sunt edita; reliqua non nisi Gallice habentur, nimirum, *Vocatio Dei*, *secunda pars*; *Lapides Novæ Hierosolymæ*, *Persecutiones Justi*, & *Confusio Opificum Babelis*. Tria tamen illorum in Latinum translata reperiuntur, scil. *Lapis Lydius*, *Solida Virtutis & Renovationis Spiritus Evangelici* partes primæ. Nuperrime in Anglicum versæ & evulgatæ sunt Londini *Lux Mundi & Solida Virtus*, cum egregia admodum Apologia (cujus Belgica nunc versio atque editio prodiit Anno 1701.) contra quosdam libellos Anglicos per duos detrectatores nuperrime in manus hominum emissos. Quanquam autem singuli A. Burignonix Libri seorsum venduntur, (a) omnes tamen ad XIX. Volumina sunt redacti. Si qui de ejusdem doctrina judicare voluerint, oportet ut ad minimum quinque vel sex eorum, quos primo nominavi, perlegerint, & quoad scrupulos, qui illic sese offerre possent, inspexerint scripta apologetica & librum *Oeconomix Divinæ* P. Poiretti,

(a) Amstelodami apud Henricum Wetstenium.

ti, qui primarias difficultates partim abolevit, partim lectores contra eas præmunivit.

(87.) Quamvis mihi non occurrant §. 87.
 Scriptores eodem Dominæ Burignonix
 mox notato caractere penitus imbuti,
 tamen cum præprimis in ipsa eminue-
 rit viva & intrepida declaratio univer-
 falis Ecclesiæ Christianæ Corruptionis,
 & speciatim Status-Ecclesiastici, dice-
 rem, sanctum penultimi Seculi Domi-
 nicanum, SAVONAROLAM hoc nomine
 valde ipsi appropinquare. Qui Sermo-
 nes quosdam sancti hujusce Religiosi
 evolverunt, e. g. quos *in librum Ruth*
 exaravit (modo eorum exemplar non sit
 Salmanticense Anni 1556. e quo Ec-
 clesiastæ septimum Sermonem, qui to-
 tus ipsos respiciebat, eripuerunt) item
 & *in Micham*; vel qui saltem legerunt
 pauca illorum in additionibus *Vitæ* ejus,
 editæ Parisiis Anno 1674. cum quibus-
 dam ejusdem *revelationibus* & *Epistolis spi-
 ritualibus*; ii poterunt judicare, an recte
 hic sentiam; imprimis si animadver-
 tant, quod sicut sancto isti viro mor-
 tem intulerunt Ecclesiastæ ob veritatem
 eis ab illo liberius dictam, sic & Domina
 Burignonia eadem de causa centies vi-
 tam

tam perdidisset, nisi Optimus Maximus perpetim impedivisset, ne in omnis generis persecutorum suorum manus incideret, quos semper & ubique inveniebat, ceu e Vitæ ejus Historia liquet, quæ non nisi plurimarum & continuarum persecutionum commemoratio quædam est, earumque adeo insolitarum & stupendarum, ut vix ullus crederet.

§. 88.

(88.) Si lubet, digrediar hic parum, vel potius, mox dicta amplius exponam, postquam de iis nuperrime de novo quædam contigerunt. Scilicet quum V. A. Burignonia seculi hujus & imprimis Ecclesiæ corruptionem graphice detexerit, & quo pacto omnes omnino, tum capita tum membra ejus, rebus omnibus sacris perverse abutantur; adeo hoc illis displicuit, qui in culpa sese esse sibi sunt conscii, neque tamen resipiscere volunt, ut hi Domini metuentes ne ipsorum vitia & errores populo innotescerent, & forte etiam ne per puellam, cujus doctrina illorum glossis longe antecellit, splendor & celebritas eorum disparerent, omnium animos ab ea alienos reddere, & odium adversus ipsam iis ingerere allaborarint, quo quemlibet a scriptorum istius Virginis lectione ab-

stra-

straherent. Id vero efficere conati sunt clamitando, ipsam Ecclesiæ omniumque Conventuum, Ministerii, imo omnium rerum sacrarum inimicam esse; quamvis tamen secundum veritatem plane contrarium inde concludere potius debuissent, cum cuilibet sanæ mentis constet, eum qui alicujus rei abusus detegit, neque horum particeps esse cupit, propterea rei ipsi non esse adversantem; alias enim & Jesaias, cæteri-que Prophetæ, tanquam hostes Religionis Judaicæ debuissent haberi; tum quisquis commonstraret, omnes ubique Scripturis sacris abuti, ipsarum Scripturarum contemptor idcirco foret declarandus, quum tamen, (quod & in omnibus rebus Divinis locum habet,) nil aliud ille in votis haberet, nil aliud quæreret, quam illorum omnium restorationem in justo ac vero suo usu & secundum Dei Spiritum. Domina B. hasce veritates meridiana luce clarius exhibuit, in Apologiis (a) quas pro se ipsa & pro rebus sacris contra detrectatores suos scripsit: Verum enim vero quum hoc calumniæ genus erga hominum mentes plurimum polleat, ad eam, quam ne ipsi quidem obtrectantes no-

(a) Vid. ejus *Monitum contra Quæros* pag. 229. &c. Item, *Testimon.* *Verit. part.* 2. pag. 74. 75. & 199. 202. & in *Prefatione* §. 3.

runt, aliis quoque invisam reddendam, quo sic ab ea omnibusque quæ a tali proficiscuntur universi abhorreant, diceres, malignum spiritum expresse ejusmodi pertinax odium ingerere illis etiam, qui cæteroquin ne minimum quidem cognoverunt nec Virginem istam, nec ejus scripta, neque ejusdem doctrinam. Et mirum profecto est, Auctorem illum, qui non ita pridem Gallice *Tractatum Historicum Theologiae Mysticae* in manus hominum emisit, istam obtrectandi methodum tam pulchram tamque decentem credidisse, ut criminationibus & mendaciis istiusmodi integram paginam replere non dubitaverit; haud memor, neminem non statim observaturum esse illas solum pristinorum calumniarum cramben recoctam, quas jam abhinc decennio & ultra narraverat in *Epistolis suis Pastoralibus*, ubi tot hallucinationes, quot lineolæ, ipsi ita sunt demonstratæ, ut tractatui (a) ea occasione edito nil quicquam reponere sciverit. Nihilominus lubuit ipsi denuo ictus suos repetere, quamvis nil quicquam novi commemoret præter satyrica quædam, quæ satis ostendunt, ipsum eadem semper ratione ignarum esse argu-

(a) Cui tit. *La Paix des bonnes ames dans tous les partis du Christianisme*, par P. Poiret. Amstelod. 1687. Vid. etiam ejusdem *Oeconomiam divinam* part. IV. c. 10. & part. V. c. 5, 6, 7, 8.

gumenti de quo judicare satagit, nimirum tum Dominae B. tum sententiarum ac doctrinae illius, ejusque Amicorum. Placetne, Domine, ut Auctoris hujus textum hic, adjuncto commentariolo, tibi inseram? Ecce verba ejus, (a) Latine reddita.

(a) *Traité historique contenant le jugement d'un Protestant sur la Théologie Mystique* pag. 106.

Innotuit in Belgio quaedam Virgo, nomine Antonia Bourignon, quae 18. aut 20. volumina librorum, omnia de pietate & devotione, reliquit: (Non, si placet; sunt enim libri illi dogmatici, quamvis animo insculpant solida vivae pietatis ac devotionis principia:) Negare nemo potest, (pergit ille) longe optima iis contineri, & devotionem illic multis in locis elucere per purissima praecepta, & moralia pietatis plena. Hoc fatetur, ne in affectuum suspicionem postmodum incurrat: Dein addit: Interea patet ejusdem fanaticismus. Profitetur aperte, se a Deo missam ad reformandam Ecclesiam, se extraordinaria ratione Divino Spiritu afflari, eoque infallibiliter duci. Diu sudaret Auctor si locus ab eo indicandus esset in quo Domina B. hoc aperte dixerit aut scripserit. Oportebat ipsum meminisse, in puncto accusationis non decere ipsum ulli suggerere cogitata aut expressiones falsas & captio-

(a) Lapis
Lydius P.
301.

fas. Domina B. quæ sensit in hunc modum expressit : (a) *Profiteor solummodo, me esse a Deo missam ad DECLARANDAM veritatem ab ipso mihi communicatam. Ablegata a Deo sum ad mortales in vitiis dormientes e veterno exscitandos, quo oppressi placide quiescunt; haud advertentes grave in quo versantur periculum: Postquam vero Lumine S. Spiritus erunt exsuscitati, poterunt, si velint, amplius pernicioso illi peccatorum somno indulgere; quando interim Dominus misericordiam suam ipsis commonstravit, egoque, quod ille me iussit, solícite peregi.* Et porro alibi: (b) *Si Spiritus S. meregit, non potest regiminis mei ratio esse vitiosa, alias nequaquam procederet a Deo, qui Bonum est perfectissimum. Possem utique aliqua in re labi, siquidem proprio motu agerem; nunquam vero dum Sancti Spiritus regimini me committo. Noster Auctor, qui se Ductorem animarum dicit, nec tamen audet Spiritus Sancti regimen & illuminationem de se ipso profiteri, ne ob hanc Divini Luminis carentiam pudore suffundatur, non dubitat illud tanquam fanaticismi characterem irrisioni exponere, haud advertendo, annon fictotam condemnet Scripturam S. clarissime passim asseverantem, Dei Spiritu*

(b) Lux in
Tenebr.
part. 3.
ep. 3.

imbutum esse oportere illum qui fit Jesu Christi, qui cognoscat Divina, eademque mortales doceat; neque an ipse sibi contradicat, qui tanquam Spiritu afflatus in aream deduxit nescio quot tum majores tum minores Prophetas imaginarios, quique adhuc dum suarum partium in Gallia restorationem per inspirationis impulsu prævidet, id est, juxta præsentem suam interpretationem, per fanaticismi viam. Ad arguendam jure quodam de *evidenti fanaticismo* Dominam B. oportebat hoc aggredi per principium pietati & veritati minus oppositum quam tale, quo quis inspirationes Sancti Spiritus aut declarationem de iis, fanaticismi titulo insignire audet. Debuisset potius advertere, an in Vita & Scriptis ejus Virginis ulla Imaginationis molimini innixa aut maligni spiritus characteribus imbuta, vel Doctrinæ ac Vitæ in Evangelio inculcatis contraria occurrant. Abunde vero constat, Auctorem hunc nunquam ad hoc attendisse, imo neque scripta ejusdem unquam legisse, addit enim: *Est hæc nova quedam Protestantium Domina Guyon.* Atqui ejus opera ubique centum continent declarationes,

tiones, nunquam eandem Protestantium partibus fuisse deditam nec effectu ipso neque etiam voluntate: *Et, pergit, hæc Domina Guyon invenit suum Patrem la Combe; hic vocatur Poiretus, Domine Bourignonia religiose addictus, qui omnia ejusdem Scripta imprimi curavit. Si Vitam hujus Virginis evolvisset censor, non potuisset non absurditatem hujus applicationis prompte detegere, eamque ad Dn. Lamberti, Decanum Insulensem, potius referre, quippe qui ejus erat & Confessor, & fulcrum; aut ad Dn. de Cort, Presbyterum Oratorii, qui prima ejusdem opera prælo commisit, propterea in vincula conjectus, & dein veneno enecatus. Attamen Auctor habebat cur potius nominatum Poiretum impeteret, qui (si narratori huic fides habenda) e discipulo sese fecit Magistrum & Caput Sectæ; qui decens esse judicavit unam Domina sua, ab omnibus mundi Ecclesiis & Conventibus discedere; qui nec Pontificius est nec Protestans; qui in totum ac sine discrimine Ministerium contemnit; qui non vult Episcopos, nec Sacerdotes, nec Ministros; qui plane alienus est a sermonibus ex ambone, a Sacramentis, non agnoscens communes conventus, neque fidei Confessiones, nec quicquam eorum quæ unionem &*

vinculum externum faciunt. Satis profecto mihi notus est nominatus ille Poiretus, ut de ipso & nominatum Juriaem & quemcunque hæc tangunt certum reddere possim, ipsum nullius esse *magistrum*, & a cujuslibet *Sectæ* erectione impense abhorrere; ipsum mente ac corde omnibus bonis animabus quorumlibet Christianorum *Conventuum* esse unitum, sive e Protestantium sive e Pontificiorum numero fuerint; ipsum tanti æstimare *Ministerium*, ut toto animo vitam perdere vellet, siquidem eo posset efficere, ut universus Orbis cætervatiim esset oppletus Sanctis *Episcopis*, Sanctis *Sacerdotibus*, Sanctisque *Ministris*; ut omnes *ambones Sermonibus* solidum ac necessarium Evangelii urgentibus personarent; ut nemo non digne uteretur *Sacramentis* ad progressum in amore Dei & proximi; ut nil frequentius ac usitatius esset quam publici *Conventus* sanctorum, aut hominum ad veram sanctitatem aspirantium; ut quis tam profunda veneratione adhæreret S. Scripturæ, ut sufficientem agnosceret ad omnem *Fidei Confessionem*; & tandem, ut omnia quæ ad Sanctam *unionem* sacrumque vinculum corporum

& animorum conferre possunt, sancte exercerentur per assiduam charitatis praxin. Atque hæc etiam Dominæ Bourignonæ fuit mens & sententia. Qui ejusdem libros, eorumque imprimis loca supra annotata evolverint, ea de re minime dubitabunt, si vel tantillum æquitatis in animo foveant: qua quidem si noster Auctor præditus foret, non posset non quæ dixi, abunde agnoscere, præsertim si attenderet, sese jam cadente ætate haud longe amplius abesse ab illo termino, quo ipsum oportebit comparere coram Tribunali ejus, qui nos serio præmonuit, *Calumniatores ad hereditatem Regni Dei minime perventuros; & indignationem ac iram imminere animis contentiosis, & in Veritate in contumacibus, quique affectuum suorum injustitiæ sese dedunt.* Nonne jam tempus est, ut ipse tandem consuetam suam animi vehementiam lenitate quadam temperare discat, neque ita pergat impetuoso fervore protinus adoriri quosvis, in quibus aliquid palato suo minus sapidum sibi videtur animadvertere, haud parcendo nec fratribus neque ipsis etiam Collegis; utque simul observet, tenebrarum principem jam satis diu perversum

amarum occœcatæ mentis ejus zelum direxisse, in ingens omnium scandalum, & propriæ salutis suæ detrimentum? Inspiret ipsi Dominus impostherum mentem pacatiorem & Christianam, doceatque eum regimen tale, quo possit reparare mala quæ tum sibi ipsi tum aliis intulit infirmis, qui sese captari sinunt contra veritatem, tum per Rhetoricam ejus, meris affectuum flatibus turgentem, tum per bonam quam de zelo ipsius fovent opinionem.

(89.) Uno exemplo ducimur ad al- §. 89.
liud; illud nimirum de Auctore *Dictionarii Gallici Historico-Critici*, qui quamvis prioris inimicus sit implacabilis, tamen communi cum ipso animo in Dominam Burignoniam contumeliose debacchari non dubitavit, easdem criminationes contra illam expromens, quarum publicam confutationem ipse jam viderat; at hoc ipso ne contentus quidem, exquisitas in satyricis morsibus, & venenatis salibus in eam, ubicunque ipsam in scenam sui *Dictionarii* introducere potuit, effusis, videtur gustare delicias. Annisus est invisam, imo admodum malignam affricare speciem omnibus iis, in quibus vel minimam arripe-

(a) *Nouvelles de la Rep. des Lettres,* 1685. Avril & Mai.

re anſam potuit, ſcilicet in Vita hujus Virginis, cujus epitomen ſeſe efformafſe contendit, at bene longe diverſam ab illa (a) quam 12. aut 15. abhinc annis de Vita & Opinionibus ejusdem in manus hominum ipſemet emiſit. Nullus fane rebitur, principium aliquod Zeli aut Religionis bene vel male intellectum, ipſum ad talem agendi rationem impulſiſſe. Abunde omnibus notum eſt, ipſum hoc nomine ſuſpicionem omni eſſe tutiſſimum. Scurriles joci, quos de *Caſtitate penetrativa & tranſitiva* effudit, illam hujusce Virginis ludibrio habens; & ingens ſolicitudo qua Dictionarium ſuum contra eam caſtitem præmunire ſtudit per ſpurcitiem penetrativam & tranſitivam, qua undique exundat, facient ut ejusdem agendi ratio potius habeatur pro effectu extremæ antipathiæ, quæ eſt inter Spiritum ſanctitatis & puritatis, qualis Dominam B. inhabitabat & inter ſpiritum contrarium, qualem Auctor in ſeipſo ſicut in Opere ſuo regnantem prodidit, quo ipſo incapax omnino redditur ſpiritualia cognoscendi, deque iis judicandi; Scriptura divina teſtante res ſpirituales carnali homini ſtolidas & odioſas eſſe; proindeque, illum

lum nostrum minime fidem mereri in istiusmodi argumenti genere. Equidem patet ipsum per probationes quasi velle procedere: at patet non minus illura perfectissime tenere praxin veteratorum, qualem alibi in quibusdam infidis historicis agnovit, qui alicubi factum historicum crudum arripientes, illud in progressu per mille fraudum artificia, quæ ipsis ad manus sunt, eo modo condire, talemque ei indere saporem ac colorem norunt, pro quo idem venditare ipsis lubet, dulcem scilicet aut amarum, album vel nigrum, prout eorum animi impetus variat. Notum est universo Orbi, Auctorem nostrum huius artificii clarissima suggessisse documenta circa subjecta quamplurima, de quibus pro & contra gestiit scribere, ex. gr. circa illud de Dn. Juriaeo; ceu ipsi ob oculos posuit *Judicium publicum* de ipsius *Dictionario*; circa Catholicismum & Calvinismum; circa plurima alia subjecta in variis libris, qui ipsius esse tenentur; & (ne extra ejusdem Opus de quo agitur excurram,) in modo utcunque specioso, at revera maxime horrendo, quo inter plurimos alios exagitare haud dubitavit sanctissimum Re-

gem & Prophetam Davidem, quem talibus depinxit lineamentis, ut respectu horum omnia mala, de quibus Dominam Burignoniam suspectam reddere al- laboravit, sint quasi margaritæ & ductus longe pulcherrimi: Imo, tanta ejus est ipsam vexandi cœca libido, ut subinde eat quæsitum eam plane extra locum, ut gratis ab illo reprehendatur ob ea quæ jure potius tendunt ad ipsius Virginis laudem & admirationem: e. g.

(a) *Diction. Crit. pag. 948.*

(b) *Epistola scripta Gandavi ad Dn: de Cort. 15. Januar. 1666. impressa in III. Parte Libri cui titulus: Tombeau de la faulx Theologic, ep. 12.*

in (a) articulo de Dn. le Roi, Barone Imperii &c. dicit auctor " hunc Dominum post plurima Opera Topographica de Brabantia nuper edidisse libellum 13. paginarum (Amstelodami 1696.) titulo: *Prædictio Antonie Burignon de vastatione Urbis Bruxellarum per ignem*, ubi post brevem commemorationem infortunii, quo Urbs isthæc fuit obruta 13. Augusti 1695. per injectas a Gallis glandes ferventes, illud refert quod de Antonia Burignon in supplemento Moreri occurrit, atque hæc verba e quadam hujus Virginis epistola: (b) *Non video me posse manere Bruxellis, quamvis omnem requisitam licentiam nacta forem, nisi ad paucum tempus; idque eo magis*
" *quod*

” quod Bruxella per ignem debeant perire ,
 ” siquidem recte vidi , ceu tibi dicebam ;
 ” quum essem apud Mazurielem. Ecce
 quæ narrat ille , simulque mecum ob-
 serva Criticam censuram , qua , non ob-
 stante facti evidentia , quæ prædictio-
 nem istam confirmavit , tamen ostende-
 re satagit , illam per spiritum illusionis
 fuisse deceptam : *Spiritus* , inquit , *qui*
hoc incendium revelaverat , (a) *minus recte* (a) Ne
indicabat tempus : nam illa sibi imaginaba- marqua
tur , Anno 1666. Urbem Bruxellensem pas bien
mox vastatum iri ; & tamen non evenit hoc le temps.
nisi 29. annis post. Non ita , pace tua ,
 Domine , absit modo omnis æquivo-
 catio : Nullum ea prædictio neque re-
 cte neque *minus recte* , indicabat tempus ,
 ceu lectori instillare cuperes ; & præ-
 terea revelatio non fuit verbalis , prout
 eam innuere gestis , ut capacem reddas
 falsæ expressionis quantum ad tempus ;
 sed per visionem innotuit , ac proinde
 talis erat quæ natura sua non determi-
 naret ullum tempus. Neque Domina
 B. sibi imaginabatur Bruxellarum incen-
 dium præcise citius vel tardius eventu-
 rum : sed quum nihil de eo ipsi fuerit
 determinatum , nullum tempus præfi-
 xum , nullum exclusum ; ipsum hoc
 de-

determinationis silentium erat proprie
 justa & legitima ratio, ob quam nul-
 lum illa tempus a periculo hoc tutum
 judicabat: ac proinde habebat cur o-
 mni tempore sese contra illud præmu-
 niret; eodem modo atque Servator
 ejusque Apostoli postquam futurum e-
 jusdem Adventum in genere prædixe-
 rant, exhortationibus Christianos tum
 urgebant, ut quolibet tempore parati
 sibi caverent, ne de improvise isthoc
 Adventu opprimerentur; in quem pro-
 cedendi modum profana & maligna quæ-
 dam mens longe speciosiori prætextu,
 quam noster Criticus invehere ac, sicut
 hic, dicere posset? " Spiritus qui Ad-
 " ventum hunc ipsis revelavit, *non re-*
 " *cte indicabat* tempus; jam enim mille
 " & septingentis abhinc annis *sibi ima-*
 " *ginabantur*, illum viventibus adhuc i-
 " psis eventurum, dum interim nil ta-
 " le hucusque contigit. Jam S. Petri
 tempore profanæ linguæ sic garrere
 haud verebantur, ceu S. Apostolus ille
 nos monuit.

S. 90.

(90.) De reliquo, quum Dictionarii
 Auctor Dominæ B. nomen lacerare co-
 natus sit, innixus inter alia cuidam libel-
 lo, quem e Lipsiensibus Ephemeridum

Scri-

Scriptoribus unus evulgaverat, quo & suos sæpe lectores tanquam ad probationum suarum fundamentum solidum ablegat noster, æquum est, ut omnibus innotescat cujus ponderis ac pretii nobis esse debeat illud Antagonistæ istius scriptum. De eo autem certiores fieri poterimus ex ore ab omni suspitione libero Viri magni nominis, qui intimus ejusdem fuit amicus, quique semper reverentiam erga ipsum fovit, & ecce quomodo hic Vir (a) hoc de argumento sententiam suam publice declaret in quodam opusculo suo in lucem edito: *Fortasse nonnullis indecens videbitur, me dissentire a judicio viri & amore & veneratione mea dignissimi, qui calamum hac in re commodaverat Collectoribus Lipsiensibus: -- Sed vicit tamen incommodum hoc, propositum indefessum aliis quacunque occasione se offerente ostendendi veritates ad felicitatem obtinendam proficuas. -- Firmiter persuasus sum, fuisse Burignoniam Virginem piissimam, & ejus Cor habitaculum Spiritus Sancti. Doctrina quoad fundum sancta est & sana, ejusque Libri dignissimi qui legantur a piis. Quod conceptus de mysteriis attinget, scripsit haud dubie, uti persuasa fuit, ac ejus persuasio nihil inepti continet aut En-*

(a) Dn.
Thomasius
Consiliarius Regis
Borussiae,
Juris-Consultus &
Professor
Halensis,
in Latina
Dissertatione sua,
premissa
Tractatui
P. Poireti
de Eruditione
Edit. Lips.
1694.
pag. 3. &
4. item 34.
& 35.

*thusiastici, si absque præjudicio affectuum, & sectaria infallibilitate ejus scripta legas, etsi tu ipse in nonnullis aliter persuasus sis. Id imbecillitati humanæ adscribo, si putavit, neminem salvari posse, nisi qui eosdem conceptus cum ipsa foveret, quamvis & hic ipsa distinguere soleat inter conceptus de mysteriis & doctrinam de pietate. Acriter judicaverunt contra eam & Auctorem nostrum Collectores Actorum Lipsiensium. Certus tamen sum, ipsum Auctorem acerbioris hujus judicii scripsisse bona fide, id est, secundum suam persuasionem. Codicem Operum Buri-
 gnonia nactus sum in auctione publica, quo usus est Auctor judicii. Magna cum admiratione observavi imbecillitatem humani generis. Erat Auctor Vir prudens, judicio maximo pollens, & sinceri animi; sed quid non possunt præjudicia quæ nobiscum adole-
 scunt? Deprehendi loca multa in operibus, lineola quadam notata ad marginem, quæ si sola spectes, non possunt non Doctrinam Buri-
 gnonia suspectam valde, sæpe blasphemam reddere; quod si autem præcedentibus aut consequentibus jungas, optimum & pium sensum habent. Non permisissent viro mihi maxime, dum viveret, caro, & a me etiam post mortem venerando, judicium, prudentia, sinceritas, ut talia excerperet, nisi præ-*

præconcepta opinio sectæ (ut quotidie cuilibet accidit) mentem fascinasset. Credo tamen, si adhuc viveret, eum ad agnitionem erroris perventurum fuisse.

Hicce locus, nonihil prolixior, requirebatur ut constaret quam misero Dn. Bailius innitatur fulcro, dum testimonium Dn. de Seckendorf allegare gestit. Satius fuisset lectoribus commendare testimonia solidiora, imo juramentis sub auctoritate publica confirmata, quæ non pauci probitate, doctrina & ordine conspicui Viri reddiderunt de integritate & sanctitate Vitæ atque Doctrinæ Dnæ. Burignonix, quæque juncta inveniuntur primæ parti ejusdem Libri, qui inscribitur, *Testimonium Veritatis*: quamvis alias ipsa de eo fatis, & quidem paucissimis verbis, protulerit ad necessariam sui defensionem.

(a) *Quod ad personam meam attinet, inquit alicubi, nil curo mortalium judiciorum; neque eorum bona, honores, voluptatesve, vel eorundem approbationes desidero.*

His omnibus renunciavi, ut invenirem Deum qui me cum æquitate judicabit: & quum id quod quæsi mihi obtigerit, nil iam amplius opto, utpote penitus contenta. Hinc sive me laudent, sive contemnant homines, quod

ad

(a) Tumul. falsæ Theol. part. I. ep. 12.

ad me attinet, idem plane reputo. Solummodo me miseret istorum calumniatorum tenebras suas magis quam lucem amantium: declarabit enim Jesus Christus, hanc esse illorum damnationem, quando Lux nata est in tenebris, & tamen hanc noluerint agnoscere.

(91.) At tempus est huic digressioni, quam mihi concedere voluisti, imo toti huic Epistolæ finem imponere. Scilicet sufficit hæctenus depinxisse plurimorum mysticorum & spiritualium Auctorum characteres, occasione tredecim aut quatuordecim primariorum, qui, ut primo animum appuli, soli commemorandi erant. Atque jam non potest non omnibus esse ex dictis manifestum, ut mihi equidem videtur, istam diversitatem, quæ inter illos sese offerens difficultatem gignebat, minime esse intimam in mente & animo Auctorum istorum contrarietatem, sicut nec in argumentis de quibus agunt; verum esse, ceu in tractatus hujusce initio monuimus, variatam multipliciter gratiarum & luminum Unius Divini Numinis, & diversos operandi modos ejusdem supremi Agentis, quales & in Divinarum Literarum Codice abunde de-

describuntur, tum per præcepta, tum per exempla quæ Deus suscitavit, tum & per promissiones, quas idem fecit: exempli gratia:

Character *Tauleri* & illorum ejus ordinis, qui est, per externa ad internas redire facultates, & hinc in fundo animæ ad Deum; idem illud est, cujus exercitium in Verbo Dei centies injungitur, dum ab externis distractionibus ad interna ibidem revocantur animæ; prout monet *Jesaias* (Cap. 46, 8.) dum inquit: *Redite, prævaricatores, ad cor.* Continet exhortatio hæc manifeste verbum externum, quod dum auribus percipitur, oportet ut *facultas* intelligentiæ idem comprehendat ad capiendum ejus sensum, qui hic inculcat, ut quis *in intima cordis* sui denuo ingrediatur. Porro effatum *Servatoris* nostri, *Pro foribus asto, atque pulso*, divinam in sensibiles hominis facultates impressionem denotat: *siquis audita voce mea januam aperuerit; en tibi verum intellectus usum, qui attendit; & affectiones, quæ Domino resistere desinunt: ingrediar ad eum, & cum eo cœnabo, & ipse mecum;* hæc est manifestatio Dei in fundo animæ, quæ ipsum tum non amplius foris

R

quæ-

quærit, sed intus invenit, cumque ipso communicat, ceu ipse cum illa, in intimo essentiaë ejus centro. Apocal. 3, 20.

§. 92.

(92.) Eodem modo Character *Harpheii*, qui imprimis urget ut quis peccato, & omni quod imperfectum est, moriatur, ad reviviscendum in novo vitæ genere, & ad progressum in hac renovatione faciendum de vita in vitam, aut ab uno gradu ad alium; omnimode conformis est iis quæ Scriptura S. pronuntiât; scilicet, quod granum frumenti debeat mori ut reviviscat & fructum ferat: quod qui cupiat invenire vitam, eam amittere debeat: quod quisquis mortuus est, resurgat ad novam vitam, quæ est *abscondita* cum Christo in Deo: quod, quamvis per conformitatem morti ejus, jam quis nactus sit virtutem ejus resurrectionis certo sensu, tamen necdum propterea pervenerit ad consummatum istius resurrectionis statum, ut jam tum sit perfectus: sed oporteat progredi & contendere ad metam, quam Jesus Christus vult ut assequamur, obliviscentes quæ sunt a tergo, & ad anteriora nos intendentes, ad scopum contendamus, ad palmam, ad quam superne vocati sumus,

„ &

„ & quotquot perfecti sumus, hoc sen-
„ tiamus; item & nos in imaginem glo-
„ riæ domini transformari à claritate in
„ claritatem, tanquam a Domini Spiritu.
Vid. Phil. 3. v. 10, 14. Col. 3. v. 1, 2, 3.
Item Rom. 6. v. 4. & 2. Cor. 4. v. 10,
11, 16. &c. & cap. 3: 18.

(93.) Character *Joannis à Cruce*, pu- §. 93.
rificatio & unio divina; *S. Theresiæ*,
Oratio amatoria cordis; *S. Catharinae Ge-
nuensis*, purus Dei Amor; memorantur
& commendantur omnes in Scriptura
S. quæ de primo quidem inquit: *Beati-
mente puri; nam ii Deum videbunt*, Matth.
5. v. 8. de altero: *Continenter orate*,
1. Theff. 5. & de amore: *Deus amor est:*
& *qui in amore manet, in Deo manet, &*
Deus in eo. 1. Joh. 4.

(94.) Character *S. Angeli*, amorem §. 94.
Crucis Jesu unicam nostram esse sapien-
tiam, est idem qui *S. Pauli*, quando ni-
hil inter Corinthios scire volebat *præter*
Jesum Christum, eumque crucifixum, 1. Cor.
2, 2. Character itidem *P. Canfeldii*, vo-
luntas Dei, is est quem adoptavit ipse
Jesús Christus, quando declarat; *De-
scendi de cælo, non ut meam, sed ut ejus*
qui me misit, voluntatem exequar. S. Joh. 6.

(95.) Simplicitas minime exculta & §. 95.

minime artificiosa, character *Joannis Engelberti*, ille est de quo *S. Paulus* testatur, *Mundi stultissima Deus elegit, ut sapientes confutaret: & mundi infirmissima elegit Deus, ut fortia confutaret.* 1. Cor. 1. visionumque divinarum, qui communis ipsi est cum *S. Hildegarde*, *S. Elisabetha* & *S. Brigitta*, aliisque, (quæ pariter characterem Prophetiæ & Revelationum præditæ fuerunt) effectus est promissionis Filii Dei, dum inquit: *Qui me diligit, diligetur a Patre meo, & ego ipsum diligam, & me ipsi revelabo.* *S. Joh.* 15. item: *Effundam Spiritum meum in servos meos & ancillas meas, & vaticinabuntur.* Act. 2. *Joël* 2.

- . 96. (96.) Character *Boëmii*, qui naturam rerum spiritualium & corporearum, rerum divinarum, angelicarum, humanarum, naturalium, est perscrutatus, debetne nobis esse suspectus, postquam *S. Pauli* effatum ei conforme sese offert: *Nec oculus hominis vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit, quæ præparavit Deus suis amatoribus. Nobis autem Deus suo Spiritu patefecit. Spiritus enim omnia rimatur, etiam Dei abditissima.* 1. Cor. 2, 10. Et character *Hielis*, quo omnia reducuntur ad spiritum, ad veritatem, & ad vitam in-

internam, nonne quantum ad substantiam, imo ipsum exprimendi modum, proprium illud principium est quod Jesus Christus stabilivit, quando dixit: *Spiritus est Deus; & qui eum colunt, in spiritu & veritate debent colere. Joh. 4.* & porro: *Verba quae ego vobis loquor, spiritus sunt, & vita sunt. Joh. 6.*

(97.) Character *Anonymi*, qui eo redit ut hominibus eorum aberrationes, corruptionem & infinitas misérias ob oculos ponat, eosdemque inducat ut propterea gemant coram Deo ex intima cordis humiliatione, ad assequendam ejus gratiam, quo dein coram ejusdem judicio subsistere queant; talis, inquam, character nonne clare expressus est a Spiritu S. per Jacobum dum inquit: *Afflictate vos, & lugete, & plorate. Risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. Summittite vos Domino, & vos evehet. Jac. 4.* Qui verò character est *Margaritæ Evangelicæ*, perpetua scilicet Dei in anima præsentia, annon per hocce Apostoli Pauli verbum confirmatur: *Non procul ab unoquoque nostrum remotus est Deus; cum in eo vivamus, & moveamur, & simus. Act. 17.* ceu & per hoc: *Vos Dei estis Templum. 1. Cor. 3. v. 16, 17.*

§. 97.

Porro, omnis industria & conatus, quos injungunt omnes ii qui exposuerunt aut exercuerunt tam *activam* & *pœnitentem* quam *contemplativam* vitam, nonne auctoritate Servatoris comprobati leguntur, dum ipse exhortatur: *Contendite intrare per angustam portam; & Semper orandum est, nec defatigari oportet, item: Nisi pœnitentiam feceritis, peribitis omnes. Luc. c. 13. & 18. quemadmodum & per Davidem: Quærite Dominum, ejusque potentiam; quærite perpetim ejus faciem & præsentiam. Semper Dominum coram me habeo. Oculi mei perpetuo ipsum intuentur, &c. Ps. 16, 25. & 105.*

- §. 98. (98.) Siquis tandem animo voverit, Jesum Christum Discipulis & Apostolis suis promississe *Spiritum qui ipsos in omnem veritatem debeat perducere; & sapientiam cui nemo poterit resistere. Joh. 16. Luc. 21. ac insuper prædixisse, simile fore cæleste Regnum fermento, quod capit mulier, & in farina sata tria abdit, donec tota fermentetur massa. Matth. 13. sique idem insuper observaverit, A. Bourignoniam circa finem libri sui, cui tit. *Lux Mundi*, explicuisse hanc parabolam modo tam consummato, ut omni disquisitioni, omnibus mediis, lectionibus,*

bus, cunctis agendi rationibus, cuilibet methodo, finis hoc pacto fit impositus; si porro quis animo bene dispositus reliqua ejusdem scripta recte intellexerit; tunc ejusce Lectoris judicio relinquo, annon quæ de charactere illius Virginis notavimus, tanquam adimpletio harum promissionum horumque Domini verborum haberi debeant.

(99.) Neutiquam foret arduum ostendere, non solum characteres, sed & dogmata & modos loquendi Auctorum Mysticorum, congruere veritatibus Scripturæ Sacræ, & sæpius eosdem plane esse terminos; atque idcirco errores aut contradictiones imaginarias, quæ ipsis objiciuntur, inde solum exoriri, quod Mysticorum sensus minime assequantur adversarii; eo plane modo atque diversæ Christianismi Sectæ ex eadem Scriptura per spiritum dissensionis doctrinas & conclusiones plane sibi invicem oppositas & contradictorias eliciunt. At novum hoc foret argumentum, quo oratio nimium extenderetur, quum jam desistendi tempus sit, postquam, ut equidem crediderim, nostrum satis pertractavimus thema.

§. 99.

(100.) Verbum tantummodo addam §. 100.

de eo quod innuere quisquam hic posset, vel quod non paucos hujusce classis Auctores, quorum nulla mentio facta, omiserim; vel, quod nimis multos in medium produxerim; & quod profusa hæc congeries non possit non confundere eos, qui Mysticos legere cupientes, incerti erunt quinam ex eis sint feligendi, rati forte omnium propterea requiri lectionem. Fateor circa primum, non sine causa quenquam istud posse innuere, probe mihi conscius quot eorum præterierim; attamen mihi videtur, quod cum centum & ultra memoraverim, tot sufficere secundum meum propositum, quod neutiquam majorem numerum, imo ne tantum quidem exigebat. Circa alterum, tantum abest ut iis, qui ad solidiorem spiritualium cognitionem aspirant, omnium horum Auctorum lectionem necessariam esse profitear; ut è contrario, eorundem paucissimos & moderatam admodum lectionem commendem, dummodo quis ansam inde capiat in se ipsum descendendi, nec circa mortuas inde elicatas ideas per solam speculationem sit occupatus; sed potius lumen & vim Divini Numinis imploret, ut ipsi lu-
beat

beat vivificare & ipso effectu animo nostro ingerere substantiam & spiritum eorum, quæ per lectionem mens imperfecte concepit. Veruntamen cum vix ullibi omnes hujusmodi libri reperiantur, utpote hinc inde dispersi; imo cum ubivis satis rari sint, multisque in locis incogniti, oportebat nominare plures, locumque ac tempus impressionis indicare, quo cuivis, quantum possibile, aperiretur via ad facilius eosdem quærendos & inveniendos, vel saltem aliquos. Quod si nonnulli laudabili curiositate ad frequentiore & ampliorem, quam absolute necesse foret, lectionem propensi, exiguam & selectiorem quandam spiritualium, eorumque Gallicorum librorum, sibi comparare cuperent suppellectilem, ecce primarios quos ibidem locum habere posse crediderim: *Thomas à Kempis, Pugna spiritualis, Dn. Bernierius, Quatuor Theologiæ: Cordis, Amoris, Crucis, & Realis; S. Teresia, Joannes à Cruce, Domina Guyon & Frater Laurentius, Canfeldius, Vita SS. Patrum in Desertis, & Vita Dn. de Renty, itemque Opera Domine Bourignonæ.* Siquis ex Latinis paucos at præcipuos desideret, hosce quærat: *Harphium, Joannem à Cruce,*

Constantinum de Barbanson, Canfeldium, Gelenium. Vult plures? Cum Harphio Triumviratum Myfticum faciunt *Taule- rus & Rusbrochius.* Joanni à Cruce adde- fis *S. Tereſiam*: pro praxi viva, *Vitas Pa- trum*; ac in primis *S. Macarium.* Suffice- rent hi, meo arbitrato, iſti propoſito; ſi qui tamen plures colligere volent, haud difficulter deſiderio ſuo ſatisfacere pote- runt, ſimulac hanc meam legerint epiſto- lam, quam convenientius finire non poſ- ſem quam per ſeriam commendationem hujusce Theologiæ Germanicæ dicti:

(a) Theol. (a) *Quamvis bonum ſit inquirere aut ex-*
 G.c. 9. *plorare, atque etiam cognoscere, quid boni*
ſanctique viri fecerint (ſcripſerint) aut
paſſi fuerint, aut quomodo vixerint, quidve
Deus in eis, & per eos egerit (aut produxe-
rit) & voluerit; tamen eſſet centies ſatius,
ut homo exploraret & cognosceret, quis,
qualiſque ſit ſtatus vitæ ſuæ, & quid Deus
in eo ſit, & velit, & agat, & ad quam rem
Deus eo velit uti, aut nolit. Itaque hoc
quoque verum eſt, quod dicitur: NUN-
QUAM TAM BONUM EST EXIRE, QUIN
SIT INTUS MANERE MELIUS.

Ecce quo nos vocent omnes vere ſpirituales libri, quorum ſubſtantiam odio proſequimur ſi aliter agimus.

A U C T O R I S

in Præcedentem

E P I S T O L A M

ANNOTATIONES & ADDITIONES.

Ad §. 5. pag. 111. l. 8.

N *Unquam Sermones ejus (Tauleri) lingua Gallica conspexi,] At exstant tamen, laudante eos P. Rigoleuco in Epistola sua XXIV. ad Religiosam quandam Virginem angoribus animæ oppressam. Verba ejus sunt: (a) Ces degouts, ces tristesses, ces craintes, & toutes ces peines qui affligent le sens, vous fortifieront & vous établiront un jour dans une parfaite santé, pourvû que vous aiez le courage de les souffrir. Si vous aviez les SERMONS DE TAULERE, je voudrois que vous lûssiez celui du quatriéme Dimanche d'après Pâques. Vous y trouveriez un passage qui a autrefois bien consolé un cœur extrêmement affligé. Hoc est: Ista fastidia, tristitia, timores, ceteraque sensum (animæ) tuum qua affligunt pœna, fortiolem te efficiant, teque aliquando*

(a) Vie & Traité du P. Rigol. p. 452.

do in perfectam (animæ) sanitatem, modo ea animose perferas, constituent. Si TAULERI haberes SERMONES, vellem uti legeres eum qui est in Dominica quarta post Pascha. ibi locus tibi occurreret aliquis, qui olim alicujus animo ad summum gradum afflicto multam consolationem attulit. ubi de se ipso quin loquatur vir ille, egregie ac solide spiritualis, minime dubito.

Ad §. 6. pag. 112. l. 19.

Audio jam (A°. 1701.) Germanicam hujusce Auctoris (Joan. Rusbrochii) Editionem parari.] Imo, & eodem anno ipsa prodiit Francofurti, in fol. cum præfatione Germanica Cl. G. Arnoldi.

Hæc de RUSBROCHIO quæ in Epistolæ contextu sunt paucula primum conscripseram, postquam nonnullos ex ejus libris ante aliquot annos pervolveram, quorum quidem generalior solum remanebat mihi memoria. Ast iisdem omnibus recentius à me perlectis, fateri cogor Rusbrochium, mihi quidem, nullo negotio videri inter omnes omnino Mysticos facile principem, solidum, tutum, pium, sanctum, humilem, infirmis sese accommodantem, cum sublimibus sublimia & arcana petentem, sensu profundum, Moralistam facerrimum, Contemplatorem incom-

pa-

parabilem, Doctorem illuminantem, inflam-
mantem, rapientem admiratione patefactio-
nis arcanorum divinorum & vitæ æternæ;
perfruitionis Dei ac beatæ quietis exper-
tum, verbo, talem qualem nescio utrum
alicubi similem reperies. Quod si quis Rus-
brochiani *Characteris*, sive ejus *Methodi* ac
rerum *Epitomen* conceptis ipsius verbis ha-
bere desideret, en quæ huc e libro de *Septem*
Custodiis cap. III. facere videntur: *Si AMO-*
REM & SANCTITATEM in supremo gradu co-
lere, exercere, ac possidere velis, & hic qui-
dem est ejus scopus, sequuntur media & pro-
gressus,) *vim INTELLECTIVAM à cunctis ex-*
pedias ac nudes formis & simulacris oportet, &
per FIDEM supra Rationem elevas, ubi aterni
SOLIS micant radii qui te suo illustrabit splen-
dore, & omnem docebit VERITATEM; & ve-
ritas liberabit te, & nudum aspectum tuum in
formæ-nescia defiget ac stabiliet nuditate. - - -
Visionem hanc VIS AMATIVA nudo Amore
semper insequitur; & in ipso sequendi actu di-
vinæ GRATIÆ RIVUS jugiter manat, animam
istiusmodi ad vividum Sancti SPIRITUS FON-
TEM introducens, ubi æternæ suavitatis SCA-
TURIUNT VENÆ, inebriantes animam, supra-
que Rationem eam sublevantes in quandam velut
aberrationem seu avia itinera, in ipsam scilicet
æternæ salutis ac BEATITUDINIS EREMUM: &
hæc

*hæc vera SANCTIMONIÆ RADIX ac substantia est, ex eademque radice interna VIRTUTUM EXERCITIA continenter emergunt ac proficiscuntur: non enim potest AMOR vacare otio. Ista autem, & quicquid præterea docet Sanctus Vir, non esse nuda duntaxat verba aut meras ideas, sed divina illustratæ mentis experimenta, testantur hunc in modum alia ejusdem verba, humilitatis suæ egregia simul monumenta: (a) *Mihi ipsi renuntio; atque æterna veritati, & S. Catholicæ Ecclesiæ fidei, & Doctoribus qui Sacras Scripturas per Spiritum S. explanarunt, me meaque scripta libens submitto. Attamen id quod intus sentio & experior, mihi manet, nec possum id è spiritu meo depellere: imo si vel totum possem lucrari mundum, equidem diffidere non possem; neque desperare de Domino Jesu, quod me damnare velit. Quod si diversa audiero, libens conticescam.**

Ad §. 7. pag. 113. l. 6.

Exstat etiam Germanice] Exstat & idem liber P. Joan. Evangelistæ, dictus, Regnum Dei in anima, etiam Anglicè ab anno 1657. Eundem habui nuper in manibus ab amico nonnullo Gallice redditum, qui forsitan in

(a) De Contemplat. cap. 80.

posterum, si Deo placuerit, in publicum
emitti poterit.

Ad §. 10. pag. 119. l. 4.

*Scopus ejusdem (Joannis à Cruce) est, ex-
tollere puritatem animæ,] vel potius ostende-
re quî per puritatem omnimodam anima ad
unionem cum Deo & præparetur tuto, &
vere attingat.*

Ad pag. 121. l. 3.

Post verba *non sine miraculo fuit eductus;*
addatur.

Claudunt ejus opera *Epistola* ejusdem de-
cem, *Cantela spirituales* novem contra Mun-
dum, Dæmonem ac carnem, & *sententia*
spirituales centum; quibus pro fine addit
hanc, unde hominis spiritum ac doctrinæ
sanitatem puritatemque dignoscere queas, ex-
clamationem ad Deum: *Domine Deus, Ama-
tor meus, si adhuc memor es iniquitatum mea-
rum, ut non exaudias orationem meam, fac
mecum secundum voluntatem tuam, hanc enim
& ipse volo; tuamque bonitatem & misericor-
diam exerce, & in illis cognosceris. Si vero
opera mea expectas, ut ipsis intercedentibus
annuas orationi meæ, da illa tu, Domine, &
in me illa operare; nec non pœnas quas tibi
placuerit acceptare, mitte; & sic fiat! Quod
si opera mea præstolari non vis, quid, ô Cle-
men-*

mentissime Domine, exspectas? cur moraris? cur tandem, si gratia & misericordia futura est, quam in Filio tuo requiro? Accipe operum meorum teruncium siquidem tibi placet; & hoc mihi bonum largire siquidem etiam & hoc tu vis. Quis evadere poterit infimos modos ac terminos, nisi tu, ô Deus meus, in puritate amoris eum erigas ad te?

Ad §. 11. pag. 122. l. 27.

In his inveniuntur tres dissertationes & duo libri vel duæ partes illustrationum, &c.] Tres illæ dissertationes quæ tantum in veteri interpretatione Gallica operum Joannis à Cruce reperiuntur, auctorem habent P. Jacobum à Jesu. Libri verò illi duo, sive illustrationum partes duæ, quæ ibidem, ac etiam in Latina interpretatione visuntur, sunt P. Nicolai à Jesu Maria, ejusdem Ordinis Religiosus, perinde atque Jacobus à Jesu.

Ad pag. 123. l. 17.

Sententiæ sunt collectæ] add. Imo & in præfatione Gallici ejusdem interpretis, habetur ab initio Auctoris nostri scopi, Methodi, rerumque ab eo tractatarum argumentum adeo succinctum atque ordinatum, ut non possim quin illud hic Latine redditum exhibeam, siquidem & Theologiæ Mysticæ bre-

brevissimam ideam, at plenam fatis, & solidam simul complectitur. Id vero sic habet.

„ Initio proponit sibi sanctus hic vir pro
„ fine ac scopo perfectam cum Deo unionem.
„ Dein pro fundamento ponit affectuum, sen-
„ suum internorum ac externorum, memo-
„ riæ, intellectus & voluntatis mortificatio-
„ nem; ut anima a creaturis & a se ipsa libe-
„ rata, se ad Deum elevet per obscuritatem
„ fidei, firmitatem spei, & ardores divinæ
„ charitatis.

„ Quoniam autem primis hisce initiis so-
„ lent ut plurimum adjungi gustus quidam in-
„ terni, suavitates sensibiles, ardores spiritua-
„ les, quibus vero nutriuntur atque foventur
„ proprius amor, mentis activitas, medita-
„ tionis discursus, aliæque dispositiones, na-
„ turæ corruptæ etiam blandientes & com-
„ modæ; docet idem, eum qui ad unionem
„ illam divinam tendit, imperfectiones istas
„ omnes debere à se amovere, ac renuntiare
„ speciebus notionibusve materialibus creatu-
„ rum rerum, visionibus item imaginariis, a-
„ liisque id genus operationibus, quo per in-
„ fusionem ac passivo modo recipiat suprana-
„ turalem contemplationem, quæ ad sum-
„ mum ducit bonum per vias certas, licet
„ obscurissimas.

„ Et è hoc quidem capite procedunt, uti

„ ostendit, ficcitates, ariditates, dubia cir-
 „ ca Deum propriumque statum, inquietu-
 „ dines, timores, pavores, de divina miseri-
 „ cordia desperationes, aliæque internæ an-
 „ xietates, quæ vel Orci tormentis pares vi-
 „ dentur animæ, Deo interim hoc in statu il-
 „ lam cum sensibus & potentiis suis spiritua-
 „ libus purificante, atque idoneam reddente
 „ quæ cum illo uniatur modo purissimo ac
 „ sublimissimo.

„ Namque simul ac ipsa è duris istis egre-
 „ ditur probationibus, ingreditur eadem in
 „ altas æquabilisque constantisque semper a-
 „ moris elevationes; quietem in objecti sui
 „ gustat perfruitione; inque Creatore suo tota
 „ transformatur. Et hac quidem in transfor-
 „ matione felici Deus se cum anima commu-
 „ nicat, hæc verò ipsi Deo unitur, prout in
 „ Canticis suis explicat magnus hic interioris
 „ vitæ Magister. Hactenus Interpres.

Ad §. 12. pag. 123. l. ult.

*Joannes à Jesu-Maria, in sua Theol. My-
 stica]* Auctor hic Joanni à Cruce ac S. Tere-
 fiæ non parum debet, quippe qui eorum ope
 videatur ad divinarum rerum experientiam
 adductus, unde & hujus liber cum scripto-
 rum illorum substantia apprime conspirat, &
 hominem divina passum, non obscure indicat.

Huc

Huc autem redit ejus summa, animam puritati vitæ spiritusque humiliationi deditam, ac suos Deo affectus jungentem, ab ejus sapientiæ radio illustrari; unde vero Deum melius noscens atque excellentius amans, suaviusque gustans postquam ardentius ad eum adspiravit, tangitur tandem a Spiritu Sancto. quo vero in tactu sublimissimo ac ineffabili, Dei demum singulari atque intima cognitione ac contemplatione, purissimo amore, gustuque & fruitione ineffabili donatur. & hac quidem in re ipsam Theologiæ Mysticæ substantiam, imo & apicem, constituit auctor hic, eique insistit præcipue, prætermittis quæ ad animæ purificationem pertinent, suntque inter præparatoria, ab aliis repetenda.

Ad §. 16. pag. 126. l. 3.

De interiori abnegatione, sive de ruina amoris proprii,] Tractatus iste egregius reperitur totus inter opera Gallica Cardinalis de Berulle, anno 1657. Parisiis in folio impressa curis P. Francisci Bourgoïn, qui eum quidem tractatum Cardinali adscribit, at fatetur simul multos ea de re dubitare, ipsumque præterea stylum sive elocutionis modum differre omnino a dictione Cardinalis, quod tamen excusare nititur hac ratione atque assertione, istum scilicet tractatum primis Cardinalis an-

S 2

nis,

nis, ætatis nempe suæ decimo nono deberi. Verum id speciem veri nullam exhibet, ab hominis adeo juvenis calamo librum prodiisse qui non nisi ab homine consummatæ spiritualitatis multarumque ac diutinarum experientiarum proficisci potuit. ipse etiam subjectam materiam tractandi modus is est, qui hominem tempore non parvo maturatum & exercitatum in arte methodice ac succincte scribendi ostendat atque arguat.

Ibid. pag. 126. l. 9.

Theologia cordis.] Hujus libri utrumque volumen prodiit Germanice Francofurti ac Lipsiæ, anno 1702. At primi voluminis tractatus primus, de *Perfectione Christiana*, præter interpretationes ac Editiones in Epistola recensitas, Germanice olim excusus est Norimbergæ, anno 1634, & Belgice Antverpiæ 1631. Similis ferme tituli atque argumenti (*De Perfectione*) reperitur tractatulus Accessionis instar adjectus Anonymi libro, *Fides & Ratio collata* dicto, nuperque (1707) mea cura emissio, qui liber divinarum ac spiritalium rerum tam theoreticarum quam practicarum principia capitaque præcipua contra errores perniciosiores, Rationalistarum præsertim, uti & tepidorum adulatorum, soliditate nervosa, fructuosa, ac minime

Ad Ep. de Auēt. Myst. §. 22. 23. 28. 277

me communi, palam ac sine respectu partium exhibet.

Ad §. 22. pag. 132. l. 23.

Translator (five *Interpres*) *cetera Gallus &c.*] Habetur & alia operum S. Gertrudis interpretatio Gallica antiquior, anno 1634. Parisiis per D. Ferraigne evulgata, cum titulo, *Insi-
nuationis &c.* quæ fere ad verbum reddita est, cum prior, quæ & eloquentior, minus ver-
bis adhæreat.

Ad pag. 133. l. 11.

*Et nunc, ut audio, Germanice versus prodi-
bit.*] Is liber Gertrudis Moræ (Confessiones animæ amantis) anno 1704. prodiit Franco-
furti, cum egregia D. Arnoldi præfatione. Insignis ac mire efficacis pietatis est, ad ve-
ram charitatem, resignationem, humilitatem, puritatem, animique solidam pacem ac læti-
tiam lectores potenter alliciens.

Ad §. 23. pag. 133. l. 28.

Epistolæ S. Catharinæ Senensis] Eæ Ve-
netiis anno 1506. impressæ sunt.

Ad §. 28. pag. 140. post lin. 14.

Hæc dum primum scriberem, nondum vi-
dere licuerat *vitam ARMELLÆ NICOLAE*,
vulgo bonæ Armellæ dictæ, a Religiosa qua-
dam Virgine idiomate Gallico solide admo-

dum conscriptam, ac Parisiis anno 1683. secundis typis impressam: alioqui minime dubitarem eam S. Catharinæ Genuensi haud secus ac veram sodalem adjungere, quippe eodem divini ardentisque Amoris Dei dominante principio, ac proinde eodem admirabili sacroque cum eo *Charactere* imbutam. quin & asseri potest hujus vitam ejusque singulas agendi rationes quippiam esse si non admirabilius, imitabilius tamen, ac proinde generalioris utilitatis pro quibusvis. Inter omnes quas mihi legere contigit sanctarum animarum vitas, nihil unquam vidi quod magis sit & admirabile, & solidum, & sublime simul. *Admirabilitas* in eo est, quod si quid virtutum, luminum, gratiarumque mirandarum inest in eo quod est in Christianismo sanctius atque divinius; id omne in rustica paupere, idiota atque ἀναλφαβήτω, quæque quoad vixit ancillæ personam egit semper, inventum fit. *Soliditas* in eo consistit, quod omnia in ea e vivo Christi inhabitantis Spiritu scaturirent, atque in unione cum eo per vivam charitatem fundarentur, essentque non modo imitabilia, sed & talia quæ cum vitæ actionibus, eisque etiam externis, componi possunt. *Sublimitas* denique hîc ea erat, ut vel in summo Christiani spiritus gradu, vel in sublimissimis, quorum quidem Mystici mentionem

nem fecerint, statibus, nihil adeo forte atque firmum, nihil adeo arduum atque sublime, nihil adeo spirituale, adeo divinum fuit, quod perfecte non inesset in ignara hacce ancilla rustica legere nescia, cui vero pro omni schola atque exercitatione fatis erat una cordis sui Christo Jesu traditio plenissima. Certus ego sum omnes eos quibus ad divina aliquid cordis sinceri superest non minus hinc emolumentum quam commotionis esse nacturos; neque dubito quin quisquis me suadente admirandam istam vitam legere in mentem inducturus est, gratum erga me ea de causa sentiat animum. Id verò bonum quo magis cum omnibus communicetur, nuperrime (anno 1703.) data est opera ut Vita hæc, idque correctius, sub prælum in hisce Provinciis revocaretur (a) cum titulo, *L'Ecole du pur Amour de Dieu ouverte aux Savans & aux ignorans dans la vie merveilleuse d'une pauvre fille idiote, paisanne de naissance & servante de condition, ARMELLE NICOLAS, decedée depuis peu en Bretagne &c.* quanquam dolendum sit inventum fuisse (b) qui, nescio quo instinctu, certe non Dei, ut tantum bonum supprimeret, vel cassum redderet, simulque confirmaret, se (quod non pauci dudum

(a) Reperitur Amstelodami, apud Wetstenios. (b) Histoire des Ouvrages des Savans. 1703. Avril, Mai, Juin.

animadverterunt) nullius libri analyfin ac contenta debito modo exhibendi capacem esse, diffimulatis vitæ hujus solidissimis virtutibus ac veritatibus rei que medulla, collegerit tantum ex ea pusilla quædam quæ putavit plerisque fore vel invisæ vel ridicula, atque adeo eos ab insigni hocce pietatis ac sanctitatis adminiculo deterrentia: quo vero artificio pudendo vel ipsa Biblia Sacra possint a quolibet animo traduci improbo, vel Protestantium probiffimi condemnari quod pia Romano-Catholicorum scripta plurima, v. g. *S. Bernardi*, *Kempisii*, *Tauleri*, *vitam D. de Renti*, aliaque permulta (in quibus & nonnulla & plura ad invidiam detorqueri possunt) ediderint, vel laudaverint atque commendarint, quæ tamen debuissent secundum malignam relationis methodum, qua erga hocce divini Amoris monimentum incomparabile haud ita diu actum est, irrisioni potius exponere, atque rejicere. Sed cum relationis istius auctor amicus esset intimus sodalisque celeberrimi hominum diviniorem (veluti Davidis) sacrarumque rerum irrisoris Bailii, qui etiam in posthumo scripto suo ultimo (cui noster cum elogio præfatus creditur) *libertatem hominis* irrisurus divinum ex Armella (a) testimonium per ludibrium adducit; quid mirum

(a) *Entret. de Maxim. pag. 3.*

Ad Ep. de Auct. Myst. §. 30. 34. 36. 28
rum si hanc diviniora irridendi methodum
noster ex ejusmodi socio imitari didicit? Ta-
ceo nunc ea quæ Armellæ Editori ibidem
ad invidiam imponit relator, quoniam ea alio
in loco (a) jam a me confutata sunt.

Ad §. 30. pag. 142. l. 16.

Variis quoque linguis &c.] Præter eas quæ
illic loci memoratæ sunt, dicuntur & eadem
Beatæ *Angela opera*, anno 1618. à puella
nobili Madritensi, Francisca de los Rios,
duodecim annos nata, in Hispanicam lin-
guam è Latina esse conversa & publicata.

Ad §. 34. pag. 149. l. 17.

Adde. De doloribus Christi mentalibus si-
ve spiritalibus, qui omnium præcipui sunt,
existant Virginis cujusdam anonymæ *Medita-
tiones* egregiæ octo, quæ, ut plurimum li-
bello *Pugnæ Spiritualis* P. Scupoli annexæ re-
periuntur, adeoque & sæpius editæ.

Ad §. 36. pag. 151. l. 28.

Contra falsam quietem] De falsa quiete vi-
deatur egregius Tauleri sermo, qui est, *Dom-
nica I. post quadragesimam, sermo I.* a medio
ad finem. Sed in primis inspiciatur Rusbro-
chius de *Ornatu Nuptiarum spirit. lib. II. capp.*

S 5

76.

(a) De Erudit. Volum. II. in consider. contra Par-
rhafium, p. 721.

76. ad 79, Taulero forte conspectus, ipsamque rem explicatius pertractans.

Ibid. pag. 152. l. 5.

De quo argumenti genere fusius egit Sandaens] Iis qui hic dicuntur Mysticorum terminos explicavisse, addi etiam possunt PP. *Jacobus à Jesu & Nicolaus à J. M.* de quibus supra §. II. uti & non pauca quæ in libro *de Divinis Nominibus* Dionysii Areopagitæ nomen ferente, reperiuntur.

Ibid. lin. 27.

Ultima Editio] Intelligitur hic Gallica editio Regulæ Perfectionis Canfeldii, qui præterea composuit & librum inscriptum *Equitem Christianum*, (le Chevalier Chrétien) *Epistolasque & tractatulos* aliquot, omnia duobus *opusculorum* libris comprehensa, ac raro occurrentia, mihi que necdum visa.

Ad §. 38. pag. 156. l. 24.

Vix amplius comparent idiomate Germanico,] Spes tamen est eadem J. Engelberti opera cum tempore comparitura, & quidem nonnullis aucta quæ nunquam adhuc lucem viderunt, quæ utinam & variis in linguis prodirent: paucos enim jam hic Mundus habet tales Dei Viros, tam evidenter a Deo missos, quique *os Domini*, sicut iste, mereantur dici.

Ad

Ad §. 40. pag. 160. l. 21.

Tanquam auctorem maxime gravem & Apostolicum,] Hermas inter Patres Apostolicos primum à S. Barnaba locum obtinuit in Editionibus Parisiensi & Antverpiensi, vel potius Amstelodamensi, anni 1700. uti & in Oxoniensi Editione S. Barnabæ Epistolæ, ann. 1685. in qua & Veterum de eo elogia comparent non una.

Ibid. pag. 161. l. 4.

Epistolam S. Barnabæ,] Ea Epistola in Germanicum idioma conversa est & edita Lunæburgi, 1695. ex interpretatione Cl. D. Arnoldi, una cum *Clementis* Epistola utraque.

Ad §. 41. pag. 161. l. 22.

Quicumque ex se ipso de iisdem judicare velit, solummodo legat tractatus ipsius Nubes cælestes - - - Revelationem Revelationum - - -] Primus ille, ut de eo atque etiam de altero *Revelationum* aliquid specialius dicam; primus, inquam, ille Ven. *Joanna Leadia* tractatulus, ea de causa dictus *Nubes cælestes*, quod describat præparationem ac statum eorum quibus uti vult Deus tanquam nubibus cælestibus ad communicandum cum hominibus cunctis universaliori modo salutarem veritatis divinæ pluviam, omnium aliorum scriptorum suorum clavem continet & fundamentum

mentum, sine quo vero quisquis ea lecturus erit ac intelligere volet, nihil facturus est quàm in superficiaria Ratione sua ideas sibi cudere & inanes & (sua tamen culpa) sibi etiam damnosas. Fundamentum vero hoc, est, ut fiat quisque primùm revera *conformis* cum *processu Christi* in *Morte*, in *Sepultura*, in *Resurrectione*, in *Ascensione* atque *assumptione* ad cœlestia, unde tuto cum Spiritu Sancto ad terrenos homines docendos ac convertendos reditus fit atque *missio* omnino *cœlestis*. quæ quidem omnia succincte, methodice, particulatim, divine etiam, nec sine ductu Sapientiæ Dei ipsa pertractavit, quæ vero Divina Sapientia in *tractatu* (a) altero *Apocalypstico* ita est conspicua, ut tantum non omnia quæ hucusque, à Doctis præcipue, in Apocalypsin scripta sunt, præ hac una Commentatione vacuæ umbræ, figmenta etiam pleraque, atque chimææræ dici mereantur. Auctor, cum per ultimos vitæ annos oculorum usu destitueretur, non scripsit ipsa, sed dictavit ex operibus suis non parvam partem, quæ vero alterius currente calamo excipiebantur, quæque, quod admiratione dignum est, erant tamen cum primis omnino uniformia, compositissima atque ordinatissima. Ceterum exuvias carnis deposuit non ita pridem

(a) Dicto, *Apocalypsis Apocalypseos*.

dem illuminata hæc a benigna & suavi sapientia Dei vidua, prope Londinum, anno 1704. ejusque *ultima hora*, adjuncto scriptorum omnium suorum Catalogo, prostant Germanice cum reliquis ejus operibus apud Wetstenios, ubi & Belgica primorum duorum tractatum (Nubium Cœlestium, & Operis Apocalyptici) interpretatio ac Editio rependienda est.

Ad §. 44. pag. 166. l. 12.

Nemo non bonæ mentis ea facillime capere & degustare possit, modo tales pro lectione seligat, &c.] Ut labor ille seligendi inter *Boëmianos* tractatus, eos qui sint faciliores, simplicioribus tolleretur, selegerunt & seorsum imprimi curaverunt nonnulli utiliora & faciliora, simulque & maxime efficacia ex illo Auctore, Belgice quidem sub titulo, *Welruikende krans van Lelyen en Rosen uit de Werken van Jacob Boheem*, Utrecht 1704. in 4^{to}. Germanice vero, & diverso quidem opere atque collectore, sub titulo *Seraphinische Blumgärtlein* / Amstelod. 1700. in 8^{vo}. Quod & antea Anglice fecerat, & ad sublimiora quoque extenderat nobilis scriptor Anglus, *Edwardus Taylor*, in libro, *Jacob Behmens Theosophick Philosophy unfolds* &c. in 4^o. Londini anno 1691. edito, ubi illuminatus hicce

Au-

Auctor respondet *questionibus centum septuaginta & septem* olim Boëmio factis, at quibus is (quatuordecim priores si excipias) morte præventus non dederat responsum. Vires hic intendit omnes Auctor ut Boëmiana principia e fundamentis aperiret, faciliaque ac foecunda omnibus redderet.

Ad §. 46. pag. 170. l. 19.

Is meliori sane successu rem egit &c.] Adde. uti & novissimus scriptor anonymus libri qui Germanice anno 1701, Belgice vero Amstelod. 1704. editus est, titulo, *De verborge Mensch des herten*, (occultus homo cordis) Symbolum Apostolicum ad interna egregie referentis & applicantis; nisi vero hujus libri characterem referre malis ad scriptores *allegoricos*, de quibus §. 58.

Ibid. l. 25.

Primarius loci ejus Pastor.] Isti J. Boëmii adversario *Gregorius Richter* nomen erat.

Ad §. 49. pag. 175. l. 22.

Addantur. Reliquit hic Auctor (*Joan. Pordægius*) manuscripta non pauca, quædam & imperfectiora, quorum jam nonnulla anno 1704. Germanice Amstelodami luci sunt exposita, quæ tamen aliqui judicant inter primos conceptus

ceptus Auctoris, quos in aliis libris postea vel emendaverit, vel evidentius ac planius expresserit, esse annumeranda. Cetera manuscripta, quoniam confusiora relicta sunt, a quibusdam harumce rerum intelligentibus ita sunt digesta, & in methodica aliquot systemata atque corpora redacta, ut occasione & commoditate ad eorum in publicum emissionem oblatis, prodire possent inde non pauci, de *Mundo*, sive *Globo aeternitatis*; de *aeterna ac pura Natura*; de *Mundo Angelico*; de *Mundo tenebroso*; de *Paradiso*, & aliis quibusdam argumentis tractatuli, praemissis nonnullis Praefationis loco quae facem omnibus ac clavem praerferrent. Sed subsidia quae re & labore ad hoc conferre possint, sunt adhuc exspectanda uti Anglice & Germanice in lucem emitti possint. Vidi tractatus illos omnes, nec sine admiratione divinissimorum ac profundissimorum mysteriorum quae nusquam alibi apparuerunt, neque in mentem hominis venire possunt. Animum extra se ad supracaelestia rapiunt. Ordinata methodo & perspicua elocutione descripti sunt. Scriptis Bohemianis obscurioribus lucem praerferunt iis intelligendis necessariam. Auctorem à Deo singularissimè in mysteriis istis edoctum fuisse apparet. Ceterum duo illi Auctoris tractatus Germanice editi (*Theologia Mystica, & Sophia*)

phia) uti & quatuor alii imperfectiores, prostant Amstelodami apud Wetstenios.

Ad §. 50. pag. 176. lin. 22.

Principia (J. Boëmii) *vivide possidebat Bromlejus.*] Reliquit ultimus hicce Auctor & alia quædam manuscripta, quorum unum, *de Paradiso aliisque animarum post mortem mansionibus* vel regionibus, nuper in Germanico idiomate, Amstelodami 1705. editum ac J. Lædæ ultimis horis subjunctum est, brevis quippe libellus: ast alius, multo major atque considerabilior, de mansionibus Israëliitarum in deserto Anglice scriptus, nullo adhuc idiomate in lucem prodiit.

Ad §. 58. pag. 185. l. 20. &c.

Theologi Allegorici - - - quales sunt ORIGENES &c.] Inter eos omnium primus meretur nominari *Barnabas* Apostolus, uti ex ejus, quæ exstat, Epistola evidenter constat. *Origenes* Patres inter sequentes tantum non omnes, vel judice magno *Erasmio* in præfatione ad illius Opera, maxime insignis est vereque divinus, intimus, solidus, movens, penetrans, inflammans, idque potissimum ubi vel profundissime allegoricus est. Idem *Erasmus* Commentariorum *Arnobii* in *Psalmos*, de quibus & hic agitur, Editor fuit,
si-

simulque laudator, quamvis Arnobio seniori quæ junioris sunt perperam tribuerit.

Ad §. 63. pag. 195. l. 4. &c.

In scriptis Macarii reperiri totius Theologiae Mysticae substantiam,] Non inutile forte fuerit hic animadvertere sanctum hunc Auctorem unum esse inter antiquos (quod de *Rusbrochio* inter recentiores vere etiam dixeris,) quem ut veræ *Theologiae Mysticae* instauratorem fontemque aliquem vivum, merito consideraveris, licet vulgo hæc partes **DIONYSIO AREOPAGITÆ** attribuant, cujus tamen Opera, quæ dicuntur, nec apparet ejus Auctoris esse cujus nomen ferunt; sed potius scriptoris *Macario* nostro vel tempore inferioris; & præterea continent pauca de *Theologia Mystica*, quam pro summo contemplationis gradu sumit, plerisque ad *Symbolicam* vel *Hierarchicam* spectantibus, nisi si hic atque illic quædam in libro de *divinis nominibus*, & in *Epistolis* excipias cum brevissimo libello de *Theologia Mystica*, quem, ut ad hanc materiam unice pertinentem, **CAROLUS HERSENTIUS**, Presbyter & Concionator seorsum Græce & Latine cum notis ac commentariis suis, præfixa etiam ejusdem pro *Theologia Mystica* Apologia, & ad eam apparatus emisit Parisiis anno 1627. in 8^{vo}.

Omnia vero ejusdem Opera prius ibidem prodierant Græce & Latine curâ Lanſſelii, anno 1615. quæ poſtea nitidius Antverpiæ 1634. cum Paraphraſibus PACHYMERIS, & Scholiis MAXIMI *Monachi*, additis notis ac commentariis BALTHASARIS CORDERII, Editoris, Soc. J. edita ſunt, & Pariſiis 1644. recuſa, (2. voll. in fol.) Verterat ea ante e Græco in Gallicum idioma, & quidem bis, P. *Joan. Golius*, celebris Golii, Regii Profeſſoris in Græcis filius, in quo idiomate Gallico prodiit interpretatio ejus altera typis elegantibus anno 1629. in 4^{to}. Pariſiis.

Porro Dionyſius, ſive is qui ſub hoc latet nomine, in modo rei tractandæ, ſive in methodo, in phraſeologia, & in quibusdam etiam argumentis non immerito aliquid ad Platoniorum Characterem accedens habere dicitur, quod tamen non culpandum in homine qui potuit antè iſti Philoſophiæ addictus fuiſſe: respicit autem poſtiſſimum ea quæ ad animæ partem intelligibilem, & ad eos qui vel provectiores ſunt, pertineant; & poſſint inde minus cauti facilius inutilium ſpeculationum anſam forte aliquam deſumere: At Macarius nullam affectans Philoſophicam vel methodum, vel ſpeciem, (in qua ignarus erat) nullamque iſtiusmodi accuratorem, aut ſubtilitatem,

Ad Epist. de Auct. Myst. §. 64. 65. 291

totus est in simplicitate, in modis, in verbis, in elemento & spiritu Scripturarum, & in charactere hominem Apostolicum, & scriptorem plane sacrum sapiente; respicitque ad omnia quæ in toto homine tum destruenda, tum adstruenda & restituenda sunt ut Deo fruatur; totusque adeo externe & interne practicus ac vivificus, incipientibus, progredientibus, uno verbo, omnibus accommodatus, sine deceptionis periculo.

Ad §. 64. pag. 197. l. 1.

Composuit eum (Margaritæ Evangelicæ librum) *sancta quadam Virgo,*] Germanicus ejus Editor, *J. Angelus Silesius* (idem forte qui egregia nonnulla versibus Germanicis, maximamque partem emblematicis sub titulo *Cherubinischer Wandersmann* conscripsit) eum librum Viro cuidam sancto, qui occultus manere voluerit, assignavit: at erroneè, uti è testimonio Eschii evidens est.

Ad §. 65. pag. 198. l. 23.

Primus Editor Belga ---] Prima libri Margaritæ Evangelicæ editio Belgica dicitur Ultrajecti anno 1535. prodiisse, edente *Theodorico Loer*, Carthusianorum Coloniensium Vicario, qui visis quibusdam e manuscripto excerptis, illam editionem, quæ excerpta illa tantum continebat, atque adeo propterea

deficiens erat admodum, procuraverat: quam vero deinde, ubi totum ei manuscriptum ipsum, (ab Eschio procul dubio communicatum) videre licuit, completam dedit Editionem anno 1539. Antverpiæ, ubi & pluries deinde excusa est *Margarita hæc Evangelica*, cum Præfatione nomen *Eschii* præferente, annis 1542, 1548. &c. Ex ea præfatione suppresserunt Editiones Latina, Gallica & Germanica testimonium de Auctore Virgine quod §. 66. exposuimus.

Ad §. 67. pag. 203.

Articulo de Thoma à Kempis, addenda sunt sequentia.

Libros *de Imitatione Christi* celeberrimos, omniumque consensu laudatissimos, frustra contenderunt eruditorum nonnulli Thomæ Kempisio Germano, sive Belgæ, detrahere, eos uti vel *Foanni Gersoni* Theologo Gallo, vel *Fo. à Gessen*, Abbati Vercellensi, Italo, assignarent, cum tamen eo scripti sint stylo qui homini neque Gallo neque Italo, sed Germano tantum sive Belgæ possit competere, Germanismis quippe seu Belgicisms frequentibus illic occurrentibus, iisque à quibus illorum lingua omnino est aliena; veluti cum, v. g. cap. I. Auctor pro dictione vel phrasi *memoria tenere*, loquendi modum sci-

re

re exterius adhibet ; Si scires totam Bibliam exterius : item ubi pro voce facilis, utitur non semel vocabulo levis vel leve, quod pro facili usurpant Germani ac Belgæ : atque ita de aliis non paucis a Lectore Germanicæ Belgicæve linguæ perito facile animadvertendis. Probabilius alii annotarunt librum quartum, qui est de Eucharistia, olim tribus prioribus non fuisse annexum, neque ad eos pertinuisse : sed Tractatum omnino novum ac separatum, licet ejusdem Auctoris, seorsum constituisse. Cui sententiæ favent ipsæ Kempisianorum Operum veteres Editiones. Sane in Parisiensi in fol. 1623. apud Badium Ascensium, cui titulus est: Opera Thomæ à Campis cognomento Malleoli, in qua primus & secundus liber in unum contrahuntur, & tertius sub nomine secundi sequitur, postquam in quavis pagina titulum de Imitatione Christi tulerunt, habent in fine, ubi quartus vulgo incipit, hæc verba : incipit libellus de Sacramentis, qui ubi gessit per omnes paginas titulum de Sacramento altaris, ita desinit, Explicit liber de Sacramento altaris, non autem, de Imitatione Christi ; in Contentis vero sive in Indice operum, duos seorsum constituunt ii articulos haud secus atque duo diversi tractatus. Prodiit quoque nuper Parisiis (1692.) eorundem no-

va quædam editio Gallica ad fidem veterri-
mi exemplaris Gothico caractere scripti, sub
titulo, *Consolatio interior*, cui præponitur
dissertatio affirmans, & defuisse huic exem-
plari eundem de Sacramento librum; ac
præterea argumentis non contemnendis asse-
rens ipsos de Imitatione libros tres non pro
Religiosis sive Monachis, sed pro Laicis ac
secularibus convertendis scriptos fuisse; quod
omnia quæ in hodiernis editionibus variis in
locis ad Monachos restricta, ac de illis quæ
ad eos attinent scripta sunt, ibi aliter se ha-
beant, & ad Christianos ac de illis dicta
sint & scripta. Imprudentius igitur egere
illi qui Protestantes, & in specie Pium ac
Eruditum Castalionem, qui ejusmodi loca ad
Christianos etiam retulerat, & totum quo-
que librum quartum reliquerat, atrocius ac-
cusant quasi propterea impietatis atque sacri-
legii sese reos constituissent.

Thomæ nostri Kempisii tempore vivebat
in ejus vicinia prope Daventriam Canonicus
quidam Regularis sanctæ admodum vitæ,
dictus GERLACUS PETRI (Belgice *Petersen*)
qui alter Thomas à Kempis postea dictus
est. Composuit ille, præter aliquod *Brevi-
loquium*, quod non existat, libellum aliquem
Kempisiano ferme duplo minorem, ast ar-
gumento & spiritu nequaquam inferiorem,

cujus *scopus & character* est, animæ libertas in Deo atque tranquillitas, quæ nullis rerum mundanarum motibus, nullis earum mutationibus accidentibusque concuti possit neque moveri; acquirenda per abnegationem ipsarum mundi rerum, nostrorumque affectuum, perque animæ super omnia elevationem in Deum inque ejus unam voluntatem cui nosmet tradamus ac resignemus totos. Editus est libellus Latine per Abbatem Canonicorum St. Genovevæ Parisiensium, Parisiis 1659. cum titulo: *Alter Thomas à Kempis, sive Ignitum cum Deo Soliloquium R. D. Gerlaci Petri, Daventriensis &c.* ac postea ibidem, 1667. eleganter in Gallicum sermonem conversus emissusque, & dictus, *Les Soliloques de Gerlac - - - dit un autre Thomas à Kempis.* Uterque vitam Auctoris Angelicam præposuit, ille brevius, hic diductius. Prodiit & idem è Latino factus Belgicus anno 1613. Sylvæducis. Rarior est, licet mereatur communior esse & maxime cognitus. Ad eundem pacis & tranquillitatis *characterem* pertinet unice P. JOANNES DE BONILLA, de quo & in articulo sequenti, quem vero, nuper Germanice reddidit HILARIUS THEOMILUS, & inseruit secundæ parti eximii sui libri Germanici, (a) *Continua letitia*

T 4

sive

(a) Die stete Freude des Geistes.

sive hilaritas animi dicti, Francofurti 1706. nuper editi. Ultimus hic liber, (Theomili) in hoc *charactere* & argumento pacis, tranquillitatis ac *letitiæ animi*, omne tulit punctum supra quàm dici potest, ut & in argumento de *Oratione*, de quo tractat quoque veluti de subsidio aut medio ad tranquillam illam animi lætitiã perveniendi. Liber dignus qui pluribus in linguis prodeat ob facilem, vivam solidamque pietatis ac etiam solidioris & purioris Mystices doctrinam qua in nervoso maxime & perspicuo dicendi genere plenus est. Audio eum in idioma Belgicum converti, in lucem ut prodeat quamprimum; & apprime fane opponi poterit erroribus libelli Belgici nuper publico Edicto prohibiti, nomen *Cæli super terra* nullo jure ferentis, quod vero hicce verissime ferre potis est.

Ad §. 68. p. 204. l. antepen.

P. JOANNI DE BONILLA,] Ita appellatur libelli egregii *de Pace* (aut de *quiete*) *animæ*, (aliis, *Semita Paradisi* dicti) auctori in Censura five Approbatione Latina Sylvestri de Pardo, Theol. Licent. Canonic. & librorum Censoris, Antverpiæ data 8. Idus Junii 1587. quæ Editioni Belgicæ Sylvæducensi, anni 1613, annectitur, licet Anglica interpretatio

ad Epist. de Auct. Myst. §. 68. 70. 297
tio ac editio anno 1700, (quam Germanica
Francofurtensis, an. 1706, imitata est) ipsum
nominet *de Bovilla*.

Ad §. 70. pag. 206. l. 8. & 23.

Theologia Germanica - - - Germanice scri-
ptus est hic libellus ab Equite Teutonico,] Hunc
libellum putant plerique nominari GERMA-
NICAM Theologiam, quod in Germanico
idiomate primitus sit scriptus: quæ etiam
mea fuit sententia. At re propius perpen-
sa, inducor ut credam epitheton hoc non tam
ab idiomate quam ab Ordinis dignitate de-
sumtum esse, qui Ordo cum dicatur *Teuto-*
nicus, liber inde sit denominatus *Theologia*
TEUTONICA, hoc est, ab Auctore Ordinis
Teutonici profecta, quocunque deinde mo-
do titulum hunc variaverint Editores varii,
ipseque Latinus interpres pro dictione *Teuto-*
nica, vocem *Germanicam*, at minus signifi-
canter, adhibuerit. Ceterum in Auctoris ti-
tulo sive dignitate designanda, falluntur
quotquot cum Neandro eum dicunt *edituum*,
imo pauperem *ædituum*, eo quod antiquis-
sima præfatio eum nominet *Custodem in do-*
mo Equitum Teutonicorum Francofurti. Atqui
Custos non idem est ac *edituus*; sed dignitas
est multos inter Religiosos Ordines ex pri-
mariis, qua qui gaudent, præfunt aliis cu-

stodiendis, observando ut leges & statuta Ordinis custodiant; ac etiam ut hujus privilegia à nullis violentur. Certe tituli *Equitis Teutonici*, ac *Presbyteri*, quos eadem Præfatio Auctori huic assignat, cum dignitatis tituli sint, eum minime fuisse pauperem aliquem ædituum satis evidenter ostendunt. forte error inde ortus est, quod Germani ædituum sua lingua dicant *Küster*, quod crediderunt per vocem præfationis *Custos* significatum esse. Utrum autem domus illa Equitum, cui præerat, Francofurti fuerit ad Moenum vel ad Oderam, dubitari potest. Ego ad Oderam crediderim fuisse: nam & in locis vicinis potens erat ac dominabatur Ordo ille; & in iisdem prodierunt primæ libelli Editiones ab anno 1518. &c. inter quas una Regiomonti (*Königsberg*) in Prussia, anno 1558. emissa est.

Ad characterem Theologiæ Teutonicæ sive Germanicæ reducendus est novissimus Auctor Belga JACOBUS BRILLIUS, initio seculi hujus Leidæ fatis functus, cujus *Opera* posthuma Amstelodami nuper (1705.) Belgice (in 4^{to}.) prodierunt, quæ vero testantur animum divino lumine omnino illustratum, veraque cognitione tum sui nihili, tum Dei sufficientiæ, atque etiam realitatis solidæ quæ in Christi notitia ac communicatio-

ne

ne inest, intelligentia radicali omnino perfusum. Totus est, quantum ad dictionem, in Scripturarum, ut & Theologiæ Teutonicæ verbis; quantum ad res, in earumdem spiritu interno, solido, miti, pacifico, atque ad unitatem & ad finem omnium summum ac unum omnia semper reducete. Inter Tractatus circiter quadraginta quibus ejus Opera continentur, unus exstat, decimus quintus numero, (a pag. 448. ad 501.) qui sub titulo, *Vitæ occulta, sive Vitæ Fidei*, egregiam totius *Theologiæ Teutonicæ* paraphrasin atque explicationem exhibet. Ceterum Auctor literis operam non dederat, & quoad vixit, intra se latuit, aliis, quantum ad animi dona, prorsum incognitus.

Ibid. pag. 207. l. 19.

De vero Christianismo,] Solidus hic J. Arndii tractatus, cui non immerito deberi credendum est quod inter Germaniæ Protestantes solidæ pietatis conservati sint igniculi, nec ab impietatis diluvio in totum suppressi; præter Editionem Latinam Francofurtensem, de qua hic agitur, fuerat quoque anno 1625. Lunæburgi Latine impressus. Idem & novissime (anno 1704.) prodiit Lipsiæ correctior, curis & castigatione D. Pritii, adjunctis nonnullis Dorschei, Argentoratensis
Theo-

Theologi annotationibus adversus Lucam Osiandrum Tubingensis Academiae Cancellarium & Theologiae Professore rixosum, qui ut Arndii divinum hunc librum diffamaret atque eliminaret, multa passim in pessimam partem detorserat & interpretatus erat, quae voluit restituere Dorscheus: at efficaciores Arndius sui defensores invenit in Varenio, Brelero, aliisque. Vitam ejus habes apud Cl. Arnoldum in tractatu Germanico *Vita fidelium* (Das Leben der Gläubigen) dicto. *Interpretationem* librorum quatuor Arndii de Vero Christianismo vidi *Gallicam*, nec inelegantem, at necdum in publicum emissam, licet forte aliquando emittendam, ne egregius ac salutaris laborque liberque intercidat: quod dolendum esset.

Ad §. 72. pag. 210. l. 26.

Didacus (seu Diego) *Stella*, *Franciscanus*, & dein *Episcopus Hispanus* in libro ejusdem tituli] *Lege*, *Jacobus Stella Franciscanus* in libro ejusdem tituli, videlicet de Vanitate Mundi. Libet hac occasione monere, eos qui rebus mundi, & quidem non parvis sunt ex officio impliciti, veluti *Optimates* atque *Principes*, quem ad modum vitam & regimen instituire debeant ut ab Evangelicis principiis, adeoque ab aeterna salute non ab-

aberrent, non posse id solidius discere, quam ab illustrissimis Auctoribus duobus, altero, Ser. Principe DE CONTY, in solidissimo libello, *les Devoirs des Grands*, (de Officiis Optimatum, sive Principum,) altera, Ducissa DE LA ROCHE-GUYON, in Opere anonymo sat recens edito, *Reglement donné par une Dame de haute qualité &c.* (Regulæ per Illustrem Dominam D. nepti suæ præscriptæ &c.) de quo vere dixit ejus Censor, *alibi vix similem apparere sapientiam & pietatem.* Utrum in alias versi sint linguas, id me vero adhuc latet, nisi quod nuper (ann. 1705.) horum tractatum primus Edinburgi Anglice cum excellenti Interpretis præfatione editus sit. Meretur sane uterque libellus idiomatibus quibusvis exponi, ac in Principum & Optimatum omnium manibus versari, quippe scripti ab iis Auctoribus qui in eadem statione & erant, & experientia quid illic fieri debeat ac possit, sciebant, vitæque sua expresserant.

Ad §. 74. pag. 213. l. 12. &c.

Vitæ (SS. Patrum) admiratione dignæ &c.]
Adde. Prodierunt nuper (1700.) Halæ eadem *Vitæ Patrum* Germanice, ac in Epitomen plerumque redactæ, ad usum Protestantium, interprete Celeberrimo G. Arnolde, qui-

quibus & alias, *Bernardi*, v. g. *Tauleri*, *Rusbrochii*, *Gerhardi Magni*, *Kempisii* &c. annexuit vitas; suntque eadem in Belgicum idioma postea translatae & publicatae.

Ad §. 77. pag. 215. l. 24. &c.

Vitas admiratione dignas insignium omnis generis & conditionis Sanctorum Sanctarumque] Copiose invenies à multis Auctoribus inter Catholico-Romanos collectas, v. g. a *Laurentio Surio* quatuor tomis, præsertim vero a *BOLLANDO* ejusque adjunctis vel successoribus *Henschenio*, & *Papebrochio*, &c. qui, si continuaverint, infra tricesimum volumen non sunt substituri. Celeberrimus *Arnoldus* volumen collegit piissimarum vitarum quorumcumque qui annis 200. abhinc vixerunt, idque edidit titulo; *Vitæ fidelium*, vel *credentium*, Halæ 1701. in 4^{to}. Germanice, & quidem ad usum Protestantium potissime, licet & nonnullæ intersint etiam Sanctorum Catholico-Romanorum vitæ. Ceterum pro eo quod vitas ejusmodi *admiratione dignas* nominavi, erunt procul dubio qui contra contendunt eas risu potius vel contemptu dignas debere dici: verum, quid iudicium de rebus divinis ac spiritalibus ad brutas animas, quæ olim, non sine pudore, licet sine fructu, sententiam mutare cogentur? vid. Sap. cap. V. 1--14.

Ad §. 78. pag. 220. l. 5.

S. Clemens in divina sua Epistola per D. Teserium in Gallicum versa] Ea S. Clementis ad Corinthios Epistolæ interpretatio Gallica, non paucis laborat tum sphalmatis, tum prætermiffionibus, culpa forsitan Typothetarum. Melius eandem, cum Epistola *Barnabæ*, Germanice interpretatus est ac Lunæburgi ann. 1695. emisit D. Arnoldus. Reperitur, cum Epistola Polycarpi (de qua in contextu fit mentio) inter Patrum Apostolicorum scripta sive Opera, illa Tomo I. hæc II.

Ad §. 79. pag. 221. l. 8.

Pauper quidam rusticus &c.] Nomen ei fuit, JOANNES DAUMONT, fueratque vinearum cultor, a quo dein labore destitit ut scriptioni & animarum quarumdam culturæ sive directioni, vacaret liberius. erant inter discipulos ejus & eruditi & Ecclesiastæ. Scripta reliquit quam plurima, non adhuc edita. Vixit in Britannia Armorica, deinde & Parisiis. De eo sunt intelligenda quæ in Epistola decima P. Rigoleuci (in Opusculorum suorum volumine, pag. 405.) leguntur, ex Gallico sic Latine reddita: *Inter illos qui mundi negotiis (sive laboribus) sunt ex officio impliciti, reperiuntur nonnunquam animæ ita*
fer-

ferventes, quaque per interiorum mentis recollectionem, in qua se exercent, principio suo (DEO) tam arcte uniuntur, ut hominum totiusve mundi sermones ac rumores, qui earum aures continue circumsonant, non magis tangant atque afficiant earum mentem ac spiritum quam ventorum sibilus vel aquarum susurri. Habemus hîc loci ancillam (ea fuit Armella Nicolaa, de qua superius,) & in vicinia bonum rusticum (is ipse est hic Joannes Daumont) qui in eo sunt statu, imo & multum ultra progressi.

Ibid. pag. 221. l. 16.

Exiguus Dominae Guioniae libellus &c.] Prodiere postmodum, anno 1704, ejusdem (a) *Opuscula*, quotquot eo usque potuerunt haberi, omnia, & nitidiora, & correctiora, & auctiora tractatulo insigni, cui nomen fecit, *Les Torrents*. Ea Editio, cujus Titulus est, *Les Opuscules spirituels de Mad. J. B. M. de la Motte-Guion*, incipit ab Editoris generali Præfatione quæ Apologiæ species est tum pro Auctore, Domina Guionia, tum pro ejus Operibus ac doctrina contra ea quæ Episcopus Meldunensis in libro *Instruction sur les Etats d'Oraison &c.* alique opposuere. Post primum de *Oratione facile facienda* tractatulum modo memoratum, sequitur hac
in

(a) *Apud Wetstenios.*

in editione, egregius iste qui *Torrentes* dicitur, quia sub torrentium aquarum emblemate ac similitudine describit illa admirabiliter vias non paucas purificationis, per quas transire oportet eas animas quæ hac in vita ad statum veluti Apostolicum pertingere debent, ut alias deinde lucrifaciant Deo: cujus vero status vestigia multa passim in sequenti *Explicatione Cantici Canticorum* eadem exhibet. Adjunctus est & his opusculis tractatulus serius repertus (a) *Regularum pro illis qui Infantia Jesu Christi colendæ ac imitandæ sese devoverunt, & societatem aliquam propterea inter se instituerunt.* Dicitur Nobilis illa Domina adhucdum in vivis esse, & quidem libera, & in secessu, apud generum suum, Comitem de V..... in provincia Vastiniensi. Serius quoque exhibitus est libellus Directoris ejus P.F. *de la Combe, Brevis instructio ad Perfectionem Christianam &c.* qui deinde seorsum excusus est.

Notandum, verba *Tractatus Torrentium* prima fuisse ambiguitati obnoxia. In manuscripto erant, primo, nomina *Jesus, Maria, Joseph.* Dein sequebatur titulus, *Exordium*
V de

(a) *Regle des associés à l'Enfance de Jesus, modele de perfection pour tous les Etats.* Germanice redditus est, & exstat in altera parte libri, *Hilarii Theomili, de Continua animi latitia, sive hilaritate, Germ. 1706.*

de modo quo Deus format animas &c. tum ipse contextus, *Eorum nomine - - - scribere incipiam*, quæ verba relativa Editor referri putavit ad illas *animas*, quarum scilicet *nomine*, hoc est, rogatu, vel commodo, scriptio facta sit; quamvis forte Auctor eadem retulerit ad tres illos prænominatos Sanctissimos, quos vero, quia a contextu per titulum exordii aliquot lineis constantis separabantur, non cogitavit Editor cum contextu relationem habere, sed sola Catholico-Romanorum quorundam consuetudine præponi, adeoque & omitti posse propter illos quibus ea consuetudo in usu non est.

Ad §. 80. pag. 223. lin. 21.

Addendum. Gertrudis Mora, de qua supra (§. 22.) mentio facta est, mire hoc in argumento (de Contemplatione activa) commendat Methodum atque doctrinam P. AUGUSTINI BACKER, Benedictini, cujus illa vim propria experientia in sui ad Deum per illum Religiosum conversione efficacissime & sensit, & vita ostendit, & in Confessionibus ab ipsa scriptis, (quibus hujus Religiosi Apologiam præfixit) mirum in modum extulit. Pii tamen Viri illius scripta non nisi Anglice exstant, quod sciam, eaque duobus (in 8^{vo}) voluminibus, studio P. Cressii, sub
ti-

ad Epist. de Auct. Myst. §. 81. 82. 307
titulo *Sancta Sophia*, cum nonnullis *sacris exercitiis*, edita anno 1657. Duaci, præmissa Editoris præfatione in qua difficultates Doctrinæ P. Backeri a nonnullis oppositæ, ab Editore dissolvuntur.

Ad §. 81. pag. 225. l. 26.

Epistolæ spirituales & mysticæ Cardinalis Petruccii,] Ex iis nonnullæ in Germanicum idioma conversæ sunt per Cl. G. Arnoldum, & Francofurti ann. 1702. excusæ.

Hoc in argumento, de Oratione, nescio utrum utiliora ac nervosiora legi possint quam quæ inveniuntur in libro Germanico supra (ad §. 67.) memorato, qui nomen *Hilarii Theomili*, titulum, *Continuæ animi lætitiæ* (sive *hilaritatis*) præfert, præcipue a cap. V. ad finem Partis primæ. quibus vero in *altera Parte* addidit auctor Germanicam interpretationem Gallici Tractatus egregii, ad hanc quoque materiam pertinentis, ac dicti, (a) *Praxes*, (sive exercitia) *ad se in continua Dei presentia tenendum*, auctore D. COURBON Presbytero ac Theologiæ Doctore.

Ad §. 82. p. 227. l. 13.

Catechismus Christianus vitæ interioris Dn. OLERII &c.] Egregius admodum ac solidissimus hicce libellus novissime recusatus est in

V 2

Bel-

(a) *Pratique pour se conserver en la presence de Dieu.*

Belgio, Gallice, annexis *de Vita gratia* fervidissimis inexpletæ abundantiaæ animi *elevationibus*. Titulus libri est: *Catechisme Chrétien pour la vie interieure par Mr. Olier*, 1703. Nullum unquam vidi Catechismum, & molis quidem adeo parvæ, huic æquiparandum. Editio hæc ultima Amstelodami apud Wetstenios reperienda est.

Ad §. 84. pag. 232. l. 1.

Ejus (Antoniæ Burignonix) *scripta passim eorum* (auctorum Mysticorum) *substantiam & solida fundamenta comprehendunt, eorundemque sensum detegunt*;] Ut pateat quam verum hoc sit, unum ac alterum duntaxat locum ex ejus scriptis lubet obiter indicare, è quibus quisquis ea consulere volet ac legere, poterit judicare tum de ceteris, tum quam consummata fuerit in Mystico elemento vel sublimissimo Antonia B. quantumque lucis scripta ejus scriptis aliorum Mysticis adferre apta nata sint. Videantur ergo solum vel è primo ejus qui in publicum prodiit libro, *Lux nata in tenebris* dicto, Part. I. Epist. 1. & 3. Part. II. Epist. 19. Et Part. III. Epist. 5. 31. 32. 33. 34. Uti & è primo quem ipsa composuit libro, *Lux Mundi* nominato, Part. II. Collatio 19. Plura, nunc quidem, nolim his addere.

Ad

Ad §. 85. p. 233. l. 3.

Ecce igitur verum eorumdem (scriptorum Virginis A. B.) *characterem, &c.]* Hic character ex scopo eorum possit ita exprimi. Hæc scripta scilicet eo tendere, ut cum per praxin doctrinæ Evangelicæ illic contentæ ac per traditionem voluntatis nostræ in manus Domini, a quo pendere prorsus velimus, erimus præparati in Spiritus S. domicilium; ipse ad nos venire possit, & in nobis deinceps habitare, ibique dominium suum resumere, sapientia nos sua ac thesauris divitiarum Christi ditaturus, illuminaturus, animaturus, docturus, atque omnia in posterum secundum divinam voluntatem suam restaurata penitus directurus, uti quidem fecisset (ne dicam excellentius) si lapsus Adami non intervenisset obstaculoque fuisset. quo vero statu nihil, hac quidem in vita, pro Christiano homine sublimius esse ac perfectius, evidens in se est: ita ut qui scripta hæcce folis incipientibus inservire posse dictitant, hoc ipso testentur se ea minime legisse, & ex aliorum invida relatione loqui solum; & quæ ipsimet dicant, utrum apposita sint, se omnino nescire. Longe aliter quisquis eam rem debito modo atque animo considerare voluerit, uti vel ex uno patet

Anonymi nonnullius nupero testimonio, librorum eorum CHARACTEREM sibi experientia notum in (a) libro suo, cura mea novissime emisso, ita designantis.

Divina Virginis Antonia Bourignonia scripta, quicquid dicant vel præjudiciis suæ Sectæ occæcati, vel omnia quæ a fœmina proponuntur non sine supercilio despicientes, tantum divini luminis thesaurum in se continent, ut quicumque voluerit facere voluntatem ejus qui olim Christum, & nunc ejus fidelem famulam, ne dicam Sponsam, misit, facillime cogniturus sit de doctrina utrum ex Deo sit, an illa a se ipsa locuta sit & scripserit. Quicumque sincera hac intentione, cognitam scilicet Dei voluntatem re ipsa exequendi, libero item tranquilloque animo, illa scripta legerit, huic spondeo, & confidenter ac sincere coram facie Domini spondeo, fore ut mecum confiteatur, nihil posse dici aut expressius, aut clarius, aut diductius, aut fortius, aut quod præsentem Christianismi statum verius & vividius repræsentet; aut bonum à malo, verum à falso, essentielle ab accessorio in omnibus Sectis tam dilucide secernat, aut Diaboli magnam potestatem in filios incredulitatis & in elementa hujus mundi, astutissimas etiam quas bonæ voluntatis hominibus struit insidias

(a) *Fides & Ratio collate adversus princ. J. Lockii, pag. 178.*

sidiis manifestius ostendat; aut profundissima vitæ spiritualis secreta adeo feliciter & plene reseret, & adversus omnes seductiones præmuniat; aut denique ad comparandam Christianam prudentiam, in his ultimis temporibus adeo necessariam, magis aptum, quam in excellentissimis illis scriptis factum est. quæ omnia expertus ipse testor. Hactenus eruditus ac solidus Auctor ille.

Ad §. 86. pag. 236. l. 13.

*Nuperrime in Anglicum versa &c.] Quicquid usque adhuc ex Operibus Antoniaæ B. in Anglicum idioma conversum est ac Londini editum, est, (1.) *Lux Mundi*, anno 1696. (2.) *De Solida virtute*, 1699. (3.) *Lux nata in tenebris*, 1703. (4.) *Renovatio Spiritus Evangelici*, 1707. singula cum omnibus partibus suis, ac præterea unumquodque cum speciali Interpretis Anglici ad Anglicum Lectorem præfatione. His addenda (5.) *Apologia pro Antonia B.* 1699. contra Anglicos duos Adversarios, in qua vero non tantum difficultates vel calumniæ ei objectæ dissolvuntur; sed & doctrinæ ejus aliquod veluti systema vel compendium ex ipsismet ejusdem verbis proponitur. Ejusce Apologiæ partes præcipuæ in Belgicam linguam sunt conversæ ac editæ (a) Amstelodami, 1701.*

V 4

cum

(a) Sub titulo, *De Leere van Juffr. A. B. verdedigt.*

cum adjuncta calumniarum *Balthas. Bekkeri* confutatione.

Ad §. 89. pag. 247. l. 14.

De Auctore Dictionarii Gallici Historico-Critici, qui in Dn. Bourignoniam contumeliosè debacchari non dubitavit &c.] Petro BAYLIO quid in causa fuerit cur in Dictionario suo pro ANTONIÆ historia Satyram dederit, non poterit iis esse ignotum quibus hominis istius indoles ex scriptis propriis innotuit, ex iisque animadverterint, quî toto ille animo occupari gestierit in debilitandis ac quantum potuit destruendis argumentis quæ pro Dei existentia, ejusdemque providentia, bonitate, sanctitate, justitia, in medium adferri solent: quî Religiones omnes eadem methodo tractaverit: quî hominum sanctiores, ipsosque adeo Sacrarum Dei literarum scriptores quosdam impium in modum exagitaverit & denigraverit; quî pro pietate ac animi sanctimonia, Christianismi essentia, Lectorum suorum animos omnis generis ineffabilibus sordibus ac impudicitiiis conspurcare atque replere annisus sit: quî sit gavisus solos Atheos, Atheismum, Manichæos horumque adversus Deum blasphemias oppositiones ita in patrocinium suscipere, ut serio ac graviter illorum bonos mores, virtutesque præ
po-

polytheismo prædicaverit; horum vero impias objectiones, sæpius à se ornatas, imo excogitatas, defenderit, ac cum tanto ardore propugnaverit, ut si qui vel ex amicis suis ejus proposito per responsiones ad impia ejus objectata respondere voluerint, hos ille protinus inimico calamo atque animo adortus sit, uti experti sunt DD. Bernardus, Jaquelot & Clericus, qui etiam per responsa sua hominis genium magis magisque genuinis coloribus suis depinxerunt, ei licet faverint vel pepercerint nimium, certe magis, quàm anonymus Auctor libri Gallici; *Philosophus Roterodamensis accusatus, compertus atque convictus*, scilicet Atheismi, qui Auctor, Bailii præcipuus olim patronus ac Pastor fuisse creditur. Quicquid sit: Si Antonia Burignonia vel Athea fuisset, vel Manichæa, vel impuris narrationibus scribendis dedita, potuissemus, procul dubio, ejus elogium ac defensionem à D. Bailio expectare, atque in Dictionario suo certius reperire. At quoniam illa in Deo, in divinis, in sanctimonia erat tota, tota impietati omni ac impuritati opposita, prætereaque per ejus de divinis ac naturalibus rebus principia solidissima nullus datur locus *Atheorum* ac *Manichæorum*, similibusque impiorum Objectionibus, quæ per ea sponte evanescunt omnes, & inven-

tos dissipantur, (ut ex iis videre est quæ de hoc argumento in Libris I, II. & VII. *Oeconomia divina* exposui,) non mirum est si D. Bailius hisce diffimulatis, (ne ita Lectoribus daret ansam sese ab improbis ejus difficultatibus Atheis ac Manichæis expediendi,) nobis pro exhibenda Antoniaë historia, scriptum dederit Satyricum palamque inimicum, quo omnes Lectores ab ejus scriptis deterret. Verum, quî potuisset illa, uti fuit, ab ejusmodi homine æquius ac clementius quam ipse Deus, divinique homines & quælibet divina tractari atque commendari?

Ceterum si quis sit qui hæc Bailii chartas improbas inspectione aliqua dignas censeat, operæ pretium erit ut simul animadvertat, quam copiose in narratione illa sua occurrant undique *falsa, calumniosa, infideliter truncata; maligne, scurriliter, ludicre interpretata atque expressa* tantum non omnia, id quo uno atque altero è multis exemplo libet ad horum singula indicare.

(1) *Falsa* sunt v. g. cum dicit eam in pauperes nihil amplius erogasse: eam fuisse indolis biliosæ; quæ è contrario erat mitissimæ, licet irasceretur in peccata supina & malitiosa: quod & in Christo Jesu observant Evangelistæ, & in vitis Sanctorum, v. g. S. Catharinaë Genuensis (cap. 42.) ac aliorum,
qui

qui eas descripserunt. Quando item dicit noster, eam docuisse, renuntiandum esse exercitiis Liturgicis Religionum, unde ingentem ei omnium conatur conflare invidiam: cum tamen contrarium pateat vel integro, quem illa edidit contra Quackeros Tractatu, tribus linguis impresso.

(2) *Calumniosa* sunt, cum dicit ille, ex. gr. eam Communiones Christianorum omnes conviciis proscindere, (qu'elle en dit pis que pendre,) quando tamen non personas, non res ipsas, sed generatim defectus & vitia è charitatis principio ostendit, ut ab illis cavendo, salutis suæ, ob quam vel sanguinem fundere optasset, consulerent. Non ita noster, quando hoc ipsum pessime commisit quod male alii exprobrat, ut vel Reformatorum respectu videre est in famoso libello qui ipsius esse agnoscitur, scil: *Avis aus Réfugiés*: cui libello causam assignant quod à Professione sua depositus fuerit Bailius.

(3) *Infideliter truncata*, ut quando narrat è vitæ Antoniaë cap. 26. Pastorem de Cort, ipsius in Christo amicum, antequam caperetur, fuisse multis de vitiis ab Episcopo dure reprehensum: atque ibi subsistit Bailius, ideam criminosi viri de eo Viro lectoribus relinquens, ac ne verbulo quidem mentionem faciens ejus quod ibidem sequitur, scilicet,
re-

respondisse illum ita Episcopo, ut hic in ruborem datus sit omnino, osque illi occlusum; Dominum vero de Cort in Deo exultasse quod dignus esset habitus qui propter veritatem divinam contumelias pateretur. Sed & tota nostri de vita Ant. B. historia, nihil aliud est quàm truncatio infidelis ac perpetua factorum, in quibus quæ in speciem mali detorqueri possunt excerpfit Bailius, quæ non item, sed defensionis loco esse possunt, reticuit, vel modis sequentibus deturpata exhibuit: nempe vel,

(4) *Maligne interpretata*: ut quando ex eo quod dixerit Virgo de vi ab aliis facta simpliciter esse conquerendum apud Præfectos locorum qui iis ex officio remedium adferre tenentur, & id quidem ubi spes est malum eo modo esse sufflaminandum; id noster interpretatur ex spiritu impatientiæ & amoris litium provenire, qui vero spiritui patientiæ Evangelicæ omnino sit contrarius. &c. Ita quando illa Q. Kuhlmanno, prophetæ fanatico, noluit adjungi eumve approbare: hoc noster vitio superbiæ non sine satyricis aculeis itidem adscribit.

(5) *Scurriliter interpretata ac expressa*, de his consulendus esset in Dictionario articulus *Adam*, item & alius in litera S, quem specialius ob ineffabiles quas illic effudit noster
spur-

spurcitas, pudet designare. Dicam tantum, illum nec bene mentem ejus quam vexare voluit expressisse; & culpandam esse in tali Censore ignorantiam, quâ notavit pro mentis aberratione valde singulari in Antonia B. opinionem, de Adamo habente, non membra, (ut spurce ille jocatur) sed principia interna utriusque sexus; quæ tamen opinio est & antiquorum Hebræorum ac Cabalistarum, & recentiorum Philosophorum quotquot abstrusiora naturæ scrutati sunt, ac speciatim tantum non omnium de quibus mentionem feci in tota Sectione de Jacobo Bohemio, ipsiusque etiam hujus Bohemii & omnium ejus sequacium. Præterea male terram nostram feminæ æquiparat, cum hæc unum è principis feminalibus ad generationem conferat, terra non item. neque vero ratione tam imperfecta ac infelici planta dependet à terræ loco ad propagationem similis, quam vir dependet à femina quæ ejus libertati ac felicitati obstat non raro, ut vel in Adamo visum est. Carpit idem alicubi innocentem dictionem qua ad partum vel uno verbo alluditur, qui sexcentas paginas obscœnitatibus honesto homine indignis fœdissime conspurcavit.

(6) *Ludicre expressa.* qualia sunt, v. g. cum narrando suo more D. A. B. voluisse bonis maternis potiri nec ea relinquere, utitur phra-

phrasibus subtilia quibus furta, vel fraudibus & subdole acquisita & retenta vulgo significantur. *Elle vouloit avoir les mains bien garnies - - -* raison admirable, pour ne se desaisir jamais de rien &c. Sed & stylus ejus sine intermissione scenicus est totus & satyricus. *Les Auteurs satyriques sont les gens du monde contre lesquels il faut qu'un Lecteur soit le plus en garde. Ce sont ceux qui raisonnent le plus mal, & qui communiquent le plus un certain plaisir qui empêche de rechercher en quoi consistent leurs sophismes. - - -* Les consulter seroit s'asseoir au banc des moqueurs, action condamnée dans le 1. Pseaume. *Diction. Hist. Tom. II. pag. 571. Edit. 1. Quæ sua sibi dicta fumere debuisset Bailius.*

Notandum, in tractatu *Continuationis vitæ Antonie B.* duo esse emendanda. alterum Cap. 22. §. 5. ubi, pro eo quod dicitur, Gorinum à Pastore Cortio emisse agri illam portionem, cujus pretii postulata restitutio causa ipsi fuit Cortium in captivitate tenendi, reponendum est, emisse quidem eum illic pro Janse-
nisticis agros quosdam; verum portionem hanc ei quasi superpondium gratis à Cortio donatam fuisse, quam vero Gorinus, (nequando ea ab heredibus Cortii forte repeteretur) petiit ac obtinuit à Cortio scripto confirmari, quasi hic eam accepto pretio vendidisset.
quo

quo deinde dono, jam speciem emptionis nacto, ille in perniciem boni viri nefarie abusus est.

Alterum existat Cap. 27. §. 5. ubi dicitur, Antoniam bona sua omnia Insulana obligatam fuisse ut pauperibus Xenodochii sui donaret, quo impediret ne fisco addicerentur falso obtentu, ab inimicis proposito. Ex his, ne ipsius in pauperes liberalitas conspicua redderetur, objecerunt haud diu adversarii, patere huic donationem istam non liberalitatis suæ, sed cogentis necessitatis effectum fuisse. At ex scriptis instrumentisque postea repertis, id eo modo restituendum est. Aliquot annos ante, cum ipsa adhuc esset ea in re liberri- ma, donasse jam suapte sponte & instrumen- to quidem authentico, bona illa sua Xeno- dochio Insulano: verum voluisse hanc dona- tionem illam inter & Xenodochii præfectos latere quoad ipsa viveret: persecutionis autem illius, de qua ibi agitur, occasione, præfe- ctis permittere debuisse ut donatio ea tunc publicaretur, quo impediretur bonorum isto- rum direptio, quando jam clarum erat bona ea ad pauperes authentico ejus dono dudum pertinuisse.

Annotationibus hisce libet finem impone- re per Tauleri notabilia verba quæ & huic, de qua modo locutus sum, Auctori & San- ctis

Etis ac Myfticis non paucis Apologiae loco esse poffunt quando a malevolis nonnullis fuperbiae accufantur quod de Dei donis, gratiis, luminibusque fibi conceffis loquantur interdum apertius ac confidentius. Locus fic habet, Serm. IV. in Afcenf. Domini. *Nulum profecto in hoc feculo verius testimonium [de Chrifto] perhiberi poteft quam fit illud quod quisque perhibet Deo veraciter unitus. In hac namque unione non folum creaturas omnes, fed etiam fe ipfum excedit. Enimvero in Dei unitate omnis amittitur multiplicitas, & fpiritus fupra omnem multiplicatam elevatur fuf-tolliturque. - - - Ad hunc gradum quotquot pervenerunt, fecure jam confiteri poffunt; nec unquam negare opus habent fpecialia Dei dona ab illo fibi collata, & quicquid Deus omnipotens ex fingulari gratia fua in eis & circa eos operari dignatus eft. Omnia namque illa Deo confitentur; & ideo nihil fibi inde adfcribunt neque ufurpant.*

CATALOGUS

PLURIMORUM AUCTORUM

qui de rebus **M Y S T I C I S**
aut **SPIRITUALIBUS**
scripserunt;

*vel qui eosdem illustrarunt & commendarunt,
aut interpretati sunt, vel ediderunt; quorum
magna pars in precedenti Epistola
commemoratur.*

LECTORI.

Sola plerumque Auctorum nomina descripta sunt; rarius & casu, librorum tituli adscripti. Præter Latinos aut Gallicos Auctores, pauci in aliis idiomatibus scripti, hic recensentur; quod rarius occurrant his in locis, imo in Bibliothecis vel Bibliopoliis alioqui instructissimis, unde & Mystici, ut plurimum, exulant. Hinc quoque non pauci è Mysticis sunt hic prætermitti, quos vero è Catalogis variorum, in quorum nonnullis libri Mystici cum Asceticis, imo & satis vulgari modo piis interdum recensentur, nolui desumere, ne forte, iis à me non visis, Catalogus hic, solis destinatus qui mysticum characterem, vel ascetico-mysticum habent, alios

vel vulgarioris vel alterius ordinis, licet alias suo modo bonos ac pios, contineret, qui nihilominus si istiusmodi unum atque alterum contineat forsitan, inde id erit, quod mihi commendati fuerint, nec tamen adhuc conspecti.

Auctores in EPISTOLA precedente recensiti hic distinguuntur à ceteris appposito numero, qui non paginis, sed paragraphis in margine numeratis respondet.

* Stellula præfixa est iis qui Collectori è præcipuis visi sunt, licet iis ceteri non postponantur, & cuilibet liberum sit aliter sentire, prout quidque cuius magis aut minus prodesse poterit; quod & de titulis ab ipso quibusdam qui jam factis functi sunt, alioqui forte minus noti, appositis dictum sit.

† Hæc nota, numeris apposita, significat consulendas esse cum paragraphis ipsis annotationes & additiones eisdem ad finem Epistolæ additas.

A.

* **D**E Abnegatione interna, anonyma. illuminata, methodica, brevis. 16. †

Abregé de l'Agneau occis &c. vid. J. Daumont. 79. †

Abregé des voies Mystiques de la Ven. Mere de S. Jean l'Évangéliste. Paris. citatur in ejus vita, Parisiis 1689. emissa.

* Acta Martyrum sincera & selecta. Egregius post Scripturas divinas liber. 28. 74

Actions memorables des PP. Dominicains du Pays-bas. Adria-

Adrianus Adriani. *Varia, Belg.*

Albertus Magnus. *Paradisus animæ. De adhæren-*
do Deo. Colon. ultimus hic, totus mysticus.

P. l'Allemand, Cancell. Univers. Paris. pius col-
lector ultimarum horarum insignium aliquot
Sanctorum.

P. l'Allemand, *Louis, sa Vie & sa Doctrine*, Paris.
laudatur à P. Rigoleuco, ut illuminatus à Spi-
ritu Dei. 75

De Alcantara, *Petrus*. insignis mortificatio ejus à
S. Teresa laudatur. 78

* Alethophili *Wahre Vollkommenheit und Glückselig-*
keit in dieser Welt. Germanice. solidus & nervosus.

* Alphonfus de Madril. methodicus, solidus, bre-
vis. 69

Alvarez, *Ealthasar*. Contemplationi deditus. vi-
tam ejus scripsit L. de Ponte. impressa est Co-
lon. 1670.

* Alvarez de Paz, *Jacobus*. Theol. Mysticus, Scri-
ptor systematicus, tribus voll. fol. Moguntiaë
1614. In hoc opere quæ ad Mysticam pertinent
sunt in vol. tertio, faciuntque tertiam circiter
ejus partem. cetera sunt ascetica, practica,
spiritualia, moralia, & optima quidem.

Ambrosius Camaldulensis Ordinis Abbas. scripsit
in Dionysium.

Andillius, *Robertus*. *Interpres Gall. Teresiæ & Vi-*
tarum Patrum &c. 20. 74. 76

* Angela de Fulginio. Theodidacta. 29. 30. †. 94.
100

Angelus Silesius, *Joannes*. Poëta sacer, Germa-
nus. 64. †

a Sto Angelo, *Mauritius*.

ab Angelis, *Joannes*, in Cantic. Cantic. *Gall.*

Angliæ, Carmelitanæ, Revelationes.

Annanienſis, *Juvenalis*. Capuc. Solis intelligentiæ - - - internum magiſterium. Aug. Vindelic. 1686.

S. Anſelmus. ill.

Antiquitates Franciſcanæ Boſquierii. Colon. 1623. in 8. *vid.* Boſquier.

S. Antonius de Padua, ſeu Paduanus. Opera. Par. 1641. inſignis S. Franciſci diſcipulus.

Antonii, Regis Portugalliæ, Pſalmi. *Verſi in Gall.* in forma Confeſſionis peccatorum.

* Apophthegmata Patrum Gr. Lat. divinus liber, auctior Apophthegmatis quæ exſtant apud Roſweydem in Vitis Patrum. 76

Monſr. d'Argenſon, de Sapientia Chriſtiana. *Gall.* 37

le P. d'Argentan, *Louis François*, *varia Myſtico-practica, Gallic.*

Arias, *Franciſcus*, de Præſentia Dei.

* Armella Nicolaa (vid. Vitas) ruſtica, ancilla, idiota, amans Theodidacta, Contemplatrix perpetua. 28. † item 79. †

Arndius, *Joannes*. inſignis & ſolidus practicus. 70. †

Arnobius junior, egregius. 58. †

Arnoldi, *Gotthofredi*, Sophia, & varia, tum propria, tum ex aliis interpretata, omnia pene Germanice. 63. 70. †. 74. †. 77. †. 78. 81. †

ab Aſſumptione, *Juſtus*.

- - - *Ludovicus Joannes*.

de Auguſta, *David*.

Auguſtini Confeſſiones &c. (Humilitas & Amor ſunt characteres Auguſtini.) 21. 58

a S. Auguſtino, *Franciſcus Macedo*. Mens divinitus inſpirata. Londini 4. 1653.

- - - *Michaelis*: Inſtitutiones myſticæ in 4. Antverp. 1671.

Avila, Joannes. *Vertit Gallice Andillius. Paris. 1673.*
 practicus.

AUCTORES aliquot qui vel Systemata Theologiae My-
 sticae scripserunt, vel methodice praecipuas quas-
 dam ejus vias vel argumenta praecipua tracta-
 runt. Hos vide specialius in suis cognominibus.
 de Abnegatione interna, tractatulus.*

Alexis de Salo.

Alvares de Paz.*

Augustinus Backer. *Anglic.**

Benedictus à Canfeld.*

Bernhardinus Roffignolius.

Catharina Genuensis. In Dialogis.

Christianus Hoburg.

Constantinus Barbanfon.*

Desiderius Peregrinus.

Dionysius Carthusianus, de Fonte lucis; de Con-
 templatione, & alia.

Franciscus Suarez.

Henricus Harphius.*

Hieronymus Gratianus.

Hugo de Palma.

Joanna de Cambri. *Ruine de l'Amour propre.*

Joannes Breton. *Theologia Mystica.*

Joannes à Cruce.*

Joannes Euangelista.*

Joan. Eusebius Nurenbergius.

Joannes Gerson.

Joannes à Jesu-Maria.

Joannes Maillard.

Joannes Rigoleucus, de Oratione. *Gall.*

Joannes Rusbrochius, de Ornatu Nuptiarum
 spirit.*

Joannes à S. Samsone, *Traité de l'Amour aspi-
 rant.*

Laurentius Scupoli.
 Ludovicus de Ponte. de Perfectione.
 Maximilianus Sandæus.
 Michaël à S. Augustino.
 Michaël Zachmorter. Thalamus sponfi.
 de Perfectione Christiana, Tractatulus.
 P. Pennequin.
 Pietro Matth. Petrucci. Tractatus varii.
 Philippus à S. Trinitate.
 Richardus à S. Victore de Contemplatione Li-
 bri VI.
 Seraphim de Fermo.
 S. Terefia, in Castello animæ.
 Thomas Bromlejus.
 Thomas à Jesu.
 Victor Gelenius. *
 Vincentius Caraffa.

B.

* *Backer, Augustinus, Sancta Sophia. Anglice.* Con-
 templator solidus & illuminatus. 80. †
Bajole, André, Jes. La vie interieure.
Balsamon, Ignatius.
 Baptistæ Crementis, (Sandæus dicit Genuensem,
 alii Venetum) opera. (à Seraphino de Fermo
 commendata.) 4 voll.
 * *Barbanfon, Constantinus.* illuminatus, methodi-
 cus, profundus, expertus. 14
 S. Barnabæ Epistola. Apostolica. 40. †. 58. †
de Barri, Paulus. Gall. pia scripsit.
 S. Basilius. Pater Monachorum Orientalium. 76
 Basilius Legionensis.
 Bellarminus, Card. *Robertus*, de Ascensu mentis in
 Deum. De Gemitu Columbæ. Singulariter pia.
 S. Be-

- S. Benedictus. Regulæ ejus. Ascet. pract. (Vita, Officium, Exercitia, in 12. Colon. 1690.)
- * *Berger illuminé. anonym.* Theodid. 79. 100
- Bernhardinus Senensis, de Divinis inspirationibus. Bernardini, *Theophilus.*
- S. Bernardus. notissime divinus.
- * M. de Bernieres Louvigni, *Jean.* illuminatus & solidissimus atque divinus. 33. 100
- de Berulle, Cardin. Petrus.* Ses œuvres in fol. à Paris 1657. & traité de l'abnegation. laudatur ut illuminatus. 16. †
- Besseus, *Petrus.* Heraclitus Christianus.
- Bibliotheca Patrum ascetica. 6 voll. in 4. Paris. 1661.
- Blofius, *Ludovicus.* piissimus & illuminatus. 24. 31
- * Boëmius, *Jacob.* Theodidactus. radicalis. 42. 58. 96
- è Boëmii Operibus, Collectanea bina. 44. †. 78. †
- Boëmianæ Theologiæ Idea. 46
- Bollandus, *Collector vitarum SS.* 30. 77. †
- * Bona, Card. *Joannes.* in mysticis doctus, pius, solidus. 39. 81
- S. Bonaventura. Franciscanus Card. notissim. 34
- * P. Bonilla, *Joannes.* illumin. tranquillus. 67. † 68. †
- Borgia, *S. Franciscus.* S. J. Opera, fol. Bruxellis. 1675.
- Bosquierii, *Philippi,* Franciscani; Antiquitates Franciscanæ. Divina hîc de S. Francisco, sed non omnibus, ob simplicitatem incomparabilem.
- Boudon, Henricus-Maria, Varia, Gallice.* solidissime pia & affectiva scripsit, præsertim in excellentissimo libello, *Dieu seul.* Paris. 1664.
- * Bourignon, *Antonia.* Theodidacta, nulli secunda.

- da. 84. †. 86. †. 89. †. 98. 100
 Brakelius. *Scala vitæ spiritualis. Belgice, Craypen van't Geestelyk Leben.* laudatur.
Mr. de Brebeuf. Entretiens solitaires. 69
 Breton, *Joannes.* Theol. Mystic. laudatur apud A. Rojas. 38
Breve instruction pour parvenir seurement à la perfection. Paris.
 * *S. Brigitta. Theodidacta. Ecstatica.* 95
Brill, Jacob. Belga novissimus, internus, realis, pacificus, illumin. idiota licet. 70. †
 * *Bromlejus, Thomas.* illuminatus, arcanus. 50. †
 Le Brun, *Henricus.* clarus, utilis. 36
 S. Bruno. *Carthusianorum Parens. Meditationes in Passionem.* 34
 Ejus opera. Col. 1611.
 Buckelius, *Joannes. Belg. Goddelijke Troost / &c. Bunian, Joan. Anglus, egregius.*
 Burnetus, *Episc. Salisb.* laudat Rentium. 77

C.

- Calaguritanus. *vid. à Jesu-Mar. Joan.*
 * *de Cambry, Joanna. Gall. illuminata, solida.* 83
 Camus, *Joan. Petrus. Episc. de Belley. Combat spirituel.*
de Candale, François de Foix Duc. Doctus, pius, cabalist. 47
 * *à Canfeld, Benedictus.* illuminatus, doctus. 35. 36. †
 94. 100
 Cantipratensis, *Thomas.*
 * *Cantica spiritualia de Amore divino, Gall. illuminati hominis I. Pars.* 67
 Caraffa, *Vincentius.* Theol. Mystica. Colon. 1660. II. Voll. in 8.

- S. Carolus Borromæus. Oper. II. Voll. Mediol.
de Cafalis, *Ubertinus*. Arbor Vitæ.
de Cassia, *Simon*. de Vita Christi.
- * Cassianus, *Joannes*. Collationum SS. Patrum in
desertis Scriptor, Sanctioribus laudatissimus. 75
- Castalio, *Sebastianus*. Interpres S. Scripturæ, Theo-
logiæ Germanicæ &c. doctus & pius. 60. 79
- a S. Catharina, *Balthasar*. In Castellum animæ S.
Teresiæ.
- S. Catharina Bononiensis. (illumin.) de sibi reve-
latis à Domino.
- * S. Catharina Genuensis. Theodidacta, Seraphi-
ca, tota ignea. 25. 93. 100
- * S. Catharina Senensis. *hæc etiam*, maxime in ejus
Epistolis ac Orationibus. 23. †. 28
- Ceparius, *Virgilius*. de Præsentia Dei.
- Cerrutus, *Jacobus*.
- * Christianus Realis. vid. *Vie de Mr. de Renty*.
- Civore*, *Antoine*, Soc. J. *Les secrets de la science
des Saints*.
- S. Clemens. Vir Apostolicus, lenitatis, humili-
tatis ac pacis Chr. præco insignis. 40. †. 78. †
- * Climacus, *S. Joannes*. Pater Græcus, illumina-
tus ac purissimus. 76
- Collectanea è Boëmii operibus. 44. †
- Comitinus, *Joan-Baptista*. de Timore & Amore
Dei.
- de Condren*, *Carolus*. *Tr. de l'Abjection*. Gallic. lau-
datur valde.
- Consilia & Responsa Theologica*. Germanic. anon. so-
lida & interna.
- La Consolation interieure*. Librorum Kempisii, de
Imitatione Christi, novissima è veterrimo e-
xemplari, ubi non pauca aliter leguntur, edi-
tio. Paris. 1692. 67. †

- Conventius, *Stephanus*, de Adscensu Mentis in Deum.
- Corderius, *Balthasar*. S. Dionysii interpres. &c. 63. †. 76
- Cotelerius, *Job. Bapt.* doctus Editor Apophthegmatum SS. PP. &c. 74. 76
- Courbon. D. Th. *Pratiques pour se conserver en la presence de Dieu.* 81. †
- Cressly, *Serenus*, Angl. Editor scriptorum P. A. Backer, & Revelationum M. Julianæ. 80. †
- Crombecius, *Joan.* de Studio Perfectionis & Ascensu Mosis in montem.
- * à Cruce, *Joannes*. illuminatissimus, Angelicus, profundus ac solidus, & doctus. 10. †. 93. 100.
- Cypariffiota, *Joannes*.
de S. Cyran, Abbé. Jean Verger de Haurane. Lettres spirituelles. De la Pauvreté de J. C. practicus.

D.

- * D. G. Anonymus Belga (David Georgius) ill. 59. 98
- Daumont, Jean.* illumin. rusticus. 79. †
- Desiderius Peregrinus. Emblematis egregius. 72
- Desiderius Philadelphus. Discip. J. Boëm egregius. 47
- Devoir des Grands. Principis de Conti.* Optimatum Biblia. Gall. 72. †
- Devotion au Sacré Cœur de J. Jesus.* Gall.
- S. Diadochus. de Perfectione, capita centum.
- S. Dionysius, dictus *Areopagita*, sublimis. 36. †. 63. †
- Dionysius Carthusianus. Opuscula insigniora seorsum Col. 1559. &c. illum.
- Directeur spirituel des âmes devotes, tiré des Ecrits de S. Fr. de Sales.* Anvers. 1699.

Directeur spirituel pour ceux qui n'en ont point.
Bruxel. 1691.

Dolores Christi spirituales, *anonym.* valde affi-
cit. 34. †. 68

Dorhoff, *Bernhardus.* Speculum juventutis. Mo-
nasterii. 1615. historiæ sunt Sanctorum in sua
juventute.

* S. Dorotheus. Asceticus, practicus, solidus. 76

Drexelius, *Hieremias.* S. J. Auctor singulariter
pius.

E

Paulus Egardus Annus de diebus 9 = Insuper. Lue. 1624.

Elevationes in Passionem. Gallicè. 34

* S. Elifabetha Schonaviensis. Theodidacta. 39. 96

* Engelbrecht, *Joannes.* Theodidactus. simplex,
fortis, divinus, solidus, facilis. 38. †. 46. 95

* S. Ephrem. Theodidactus, totus affectivus &
viscera. 62

* Epiphanius, *Ludovicus.* illuminatus. Contem-
plator egregius. 80

Erasmus Roterodamus. 58. 72

Eschius, *Nicolaus.* Solide pius. 6. 65. †. 66

l'Esprit de S. Paul.

* Evagrius. Origenis discip. Capita monachica &c.
illum. 76

* P. Evangelista, *Joan.* illuminatus. methodicus,
facilis. 7. †

Le P. Eudes. Roiaume de J. C. dans les ames.

Everhard, *Joannes.* Angl. & Belg. practicus egre-
gius.

F

Fatius, *Julius,* de Mortificatione.

Fenelon, *Franc. de Salignac. Archiep. Camerac.* 36
de

- de Fermo, *Seraphim*. illuminatus. internus.
 Fides & Ratio collatæ &c. Amstelod. 1707. Anonymi liber insignis, rerum spiritalium ac divinarum vera principia solide ac nervose exhibens. 16. †
- Fons Jacob.
- P. de Fonte, *Michael*. Tres hominis viæ. laudat eum Rojas.
- Francisca de los Rios. *puella, interpret Hispana* Angelæ de Fulginio. 30. †
- * S. Franciscus, *Affisias*. Theodidactus. Mortificationis ac sanctitatis consummatæ speculum. 32
- a S. Francisco, *Alexander*.
- S. Franciscus Borgia. Vita prodit illuminatum hominem.
- Franciscus Georgius Venetus. Cabalista egregius. Franciscanus. 47
- S. Franciscus de Paula. Minimorum Parens. Charitatis amans.
- * S. Franciscus Salesius. illuminatus, tener, facilis. 78
- S. Franciscus Xaverius. S. J. Epistolæ. Indiarum Apost.
- Franck, Sebastianus*. *Germ. Belg.* Pius & doctus Auctor.
- Franckenbergius, *Abraham*. J. Boëm discipulus insignis & nobilis. 46. 47
- Fromundus, *Libertus*.
- Fuhrman / Augustinus*. *Germ.*

G

- Gagliardi, *Achilles*. Vid. *Perfectio Chr.* 16
- Gaudier, *Antonius*. de Præsentia Dei.
- * Gelenius, *Victor*. Doctus systematicus Myst. ple-

- plenior. 15
 Georgius, *David*. illum. 59. 60
 * Gerlacus Peterfen. Soliloquia. *Lat. Belg. Gall.*
 illuminatus. alter Kempfius. tranquill. 67. †
 Gerrits, *Henricus*. Illumin. crucis commenda-
 tor. 34
 Gerson, *Joannes*. operibus ejus, nuper, 1706.
 Antverpiæ recusis, nonnulla infunt quæ ad
 Mysticam pertinent. Non est auctor librorum
 de Imitatione Christi. 67. †
 * S. Gertrudis. Illuminata, Angelica, tenera. 21. †
 * Gertrudis More. Illuminata, solidissima, hu-
 millima, fervens, resignatissima, clara, faci-
 lis, utilissima. 22. †. 80. †
Geestelijke Gesangen / of / Blyde Requiem &c.
Belg. illumin. totus Mysticus, & internus. in-
 signis.
Von den sieben Geistern oder Kräfte des Geistes Gottes.
Germ.
Geistliche Schöpfung. *Germ.*
le P. Giry, Vies des grands Serviteurs de Dieu.
 Duobus voluminibus in fol. secundum feriem
 dierum anni scripsit Sanctiorum Virorum, et-
 iam inter recentiores, gesta ac vitas. magni
 fit.
 Godefridi, *Petrus*. Varia.
 Golius, *Joan.* interpres Gallic. Dionysii. 63. †
Dan Gozcum / Joan. Sylvæducensis Pastor. **Gee-
 stelijke Bzuploft.** Sylvæduc. 1611. Belg. Soli-
 dus, realis. Scripturis SS. adhærens.
 Granatensis, *Ludovicus*, *Hisp. Lat. Gall.* &c. Mo-
 ralis plerumque & practicus.
 Gratianus, *Hieronymus*. Theol. Mystica. *Hisp.*
Gall.
 S. Gregorius Magnus.

- S. Gregorius Turonensis. Opera pia. II. Voll. Historicus pius.
- * Guilloreus, *P. Franciscus*. Solidus & doctus in Mysticis. 82
- Gulielmus Abbas, & Guigo Carthusianus. Meditationes &c. Antverp. 1589. affectuosæ, internæ.
- * Mad. Gujonia. 79. †. 100

H

- Haften, *Benedictus*. Schola Cordis. & Regia via Crucis. Ant. 1685. *Item* Venatio Sacra, sive de Arte quærendi Deum.
- de Hampoole, *Richardus*. Opera Col. 1536.
- ab Hanswyck, *Florentinus*. de Modo divinæ præsentia.
- Harmonia Mundi. 47
- * Harphius, *Henricus*. illuminatus, sublimis, methodicus. 8
- le P. Hayneuve, Jes.*
- Helmontius, *Joan. Bapt.* (huic multa in natura, medicina, divinitus ostensa fuere, & in divinis interdum.) pius, mitis & humilis animi. 47
- *Fr. Mercurius*. ibid.
- Dan Hemert** / *Antonius*. vertit è Germanico in Latinum, Speculum perfectionis, egregium Theol. | Mysticæ compendium. Antv. 1647. & nuper Belgice. Amstelod. 1699.
- * Herberts, *Hermannus*. illuminatus solidus, didacticus, methodicus. 61
- * Hermas. Vir Apostolicus, è primariis. 38. 40. †
- Hersentius, *Carolus*. interpres & commentator Theol. Mysticæ Dionysii optimus. 63. †
- Hefychius. Excellens admodum Allegoricus in
Le-

Leviticum.	58
* Hiel. Theodidactus. totus internus.	51. 96
S. Hieronymus.	77
Hilarius Theomilus. <i>vide</i> Theomilus.	
* S. Hildegardis. Theodidacta.	39. 96
* <i>Hilton, Walter</i> , Scala Perfectionis. <i>Angl. Lond.</i> 1659. illum.	
<i>Histoire du tiers Ordre de S. François d'Assise. à Lyon</i> 1694. in 4.	
<i>Histoire Generale des Carmes dechaussés.</i>	
Hoburg, <i>Christianus</i> .	60
<i>Hoogwants / Anneke / Belg.</i> varia egregia. nec fine divino lumine.	
Honorius Seynensis, Specimen Perf. Christianæ in triplici statu. 12. Paris.	
Horstius, <i>Jacobus Merlo</i> . pietatis singularis.	78
<i>Hopward / Jan / Hepligdom der benauder Sie-</i> <i>len.</i> Belg.	
Hugo, <i>Hermannus</i> . Emblematicus mysticus, poë- taque facer.	
Hugo de Palma. <i>vid.</i> Palma.	46
Hugo Victorinus (vel à S. Victore) Oper. Rothom. 1648. illum.	
<i>Huygens, Gulielmus</i> . Epist. Christianæ. <i>Belg. & Gall.</i> solid. practicus, humilis. <i>Lovan.</i> 1686. &c.	

I

à S. Jacobo, <i>Fabianus</i> .	
* <i>A Jesu, Jacobus</i> .	11. †. 36. †
— <i>Thomas</i> . doctus, solidus, Method.	13
A Jesu-Maria, <i>Dominicus</i> .	
— <i>Emanuel</i> .	
— Joannes. Calaguritanus. Carmel. Systema- ticus solidus, brevior.	12. †

A Jesu-Maria, *Josephus*.

— Nicolaus. II. †. 36. †

S. Ignatius, Antiochenus. Apostolic. sublimis amore Dei, humilitate profundus. 28

S. Ignatius, de Loyola. Exercitia pia, ascetic. Instructiones de via perfectionis.

Institutiones spirituales cujusdam Ancillæ Dei, anonym. Colon. 1660. ex Italico. illumin. Asceticæ.

Joachimus Abbas.

P. Joan-Evangelista. *vide* Evangelista.

* Joanna de Cambry. *vide* Cambry.

Joannes Moscus. Auctor Paradisi in Vitis PP. pius. 77

Jordanus, *Raimondus Idiota*. (Opera ejus Parisiis in 4. 1654.) pius, fervidus amore. 24

* *Julianæ*, Matris Anachoretæ, Revelationes de amore Dei. *Anglice*. Theodidactæ, profundæ, ecstasticæ.

* à S. Jure, Soc. J. P. *Joan. Bapt.* illum. solidiss. insignis Christi commendator in egregio opere, *de la connoissance & de l'Amour du Fils de Dieu*. Paris 1688. 77

S. Justiniani, *Laurentius*, Patriarcha Venetus ill. Oper. fol. Lugd. 1568.

K.

à Kempis, *Thomas* (cujus omnia Opera, Colon. 1680.) ejus Imitatio Christi, manuale Christianorum. 67. †. 100

Keym, *Paulus*. J. Boëm discipulus egregius. 47

L.

Lacman, Jean. Pensées Chrétiennes.

Lallemand, vide l'Allemand, sub A.

Lancicius, Nicolaus. Opera ejus, fol. II. Voll. Antv. 1650.

Ejusdem Meditat. spiritual. Herbipoli 1694. Germ.

le P. de Langle, Conduite spirituelle.

* *Lansbergius, Joan-Justus. pietatis solidæ forma-
tor insignis, illumin. 72*

Lanselius. S. Dionysii Editor. 63. †

* *Lassot, Joannes. Collectio Epistolarum spiritua-
lium optimarum de quibusvis materiis. 82*

* *Latiniacus, Paulus. Canones Amoris divini. fo-
lidi.*

Laurentius Justiniani. Illumin. Oper. fol. Lugd.

* *Laurentius de Resurrectione. illuminatus à Deo.
simplex. contemplator perpetuus. 80. 81. 100*

Lautensack / Paulus. Germ.

* *Leada, Joanna. illuminatissima, in arcanis di-
vinis Theodidacta. 41. †. 49. 58*

Ludovicus Legionensis.

Ludovicus Parisiensis. Palatium Amoris divini.

*Lullius, Raimondus. Amicus & Amatus, libellus
aphoristicus, solidus, sublimis.*

Lutzvic, Stephanus. Cor Deo devotum.

Lusthof des Gemoeds. Belg.

M

* *S. Macarius, Ægyptius. Theodidactus, solidus,
realissimus, penetrans. 63. †*

*Madriliensis, Alphonsus. solidus, practicus, me-
tho-*

thodicus.

69

à S. Magdalena, *Maximinus*.Maillard, *Jean*. S. J. Interpres Gall. Jo. à Cruce.

II. †

Scriptit & *La direction des ames qui aspirent dans le monde à la perfection*. in 12. Paris 1702. liber laudatissimus, rerum mysticarum quæ ad vitam spiritalem ac perfectam pertinent, Epitome perfectior.

Item. *La vie de Marie Bon, de l'Incarnation*.* *Malavallius, Franciscus*. Contemplationis activæ scriptor primarius ac facilis. 67. 80

Paratur ejus Epitome, ut & Bernerii, clara & Methodica, quamprimum Gallice edenda.

du Mans, Martial, Pratique de l'année sainte.

Marcus Eremita.

* *Margarita Evangelica*. illuminatæ, internæque anonymæ. 64. †. 65. †à S. Maria, *Petrus Thomas*.*Le P. Marie. Sainte Solitude.** *Maria Henrici*. illuminata, brevis, solida. 18

S. Maria Magdal. de Pazzi. ecstática. 34

des Martyrs. Barthelemy, de la Vie spirituelle. laudatur valde.

Maffutius, Thomas. de Cœlesti conversatione.*Matthæi, Joannes*. (Zimmermannus) J. Boëmii

Apologista doctissimus, egregius. 46. †

à Matre Dei, *Alphonsus*.— *Hieronimus*.

S. Maximus. (Oper. Paris. 1675.) 63. †

* S. Mechtildis. Illuminata, divinis commerciis ac visionibus clara. 39. 96

Sa pratique de Devotion in 12. à Paris.

Meditationes de doloribus Christi mentalibus, affectuosæ.

34. 68

Mer-

- Mercurius Trismegistus. 47
 * Methodus conversandi cum Deo. libellus facilis, optimus, utilissimus. 81
 Methodus Orationis. internus Auctor. *vid. Daumont.* 79. †
 Molinos, *Michael.* 80
 Monelia, *Antonius.* in Theol. Mysticam S. Dionysii. commendatur à Card. Bona.
 Montanus, *Arias.* laudat Hielem. 57
 Montanus, *Guillaume,* *Pratique des bonnes intentions.*
 Mora, *Gertrudis,* illuminata, pietatis, humilitatis, mansuetudinis incomparabilis. 22. †
 Morus, *Henricus,* J. Boëmii Amator. Angl. pius & doctissim. 46
 Moscus, *Joannes,* in vitis Patrum, egregius. 77

N.

- Nierembergii, *Joan. Eusebius.* Doctrina Ascetica, sive Institut. spiritual. pandectæ. Col. 1696.
 Vita Divina, sive, Via Regia ad perfectionem.
 Adoratio Dei in spiritu &c. & plura alia. Mysticus, Asceticus & Moralista insignis.
 S. Nilus. de Oratione. Admonitiones, Epistolæ Gr. Lat. opusc. &c. cum notis Suaresii, Allatii, &c. Romæ 1673. 2 voll. Item Paris. 1639. illumin. Asceticus.
 S. Norbertus. Sermones. Prag. 1676.
 à S. Norberto, *Hermannus.* Cibus solidus perfectorum. Antv. 1670.
 Nouëtus, *Jacobus.* bonus Orationis commendator & scriptor. 79

O

- Occultus cordis homo. Lib. Germ. Belg. merito
laudatus. 46. †
- * Olerius (Olier) *Jacobus*. Catechismus Chr. soli-
diff. practicus & dogmat. 82. †
- Et alia, *Gall.*
- à S. Onuphrio, Bernardus.
- Origenes. illuminatus à Deo. 58. †
- de Orofco, *Alphonsus*. Solide pius, tener, hu-
milis, doctus. Confessionum libellus, mole
exiguus est, valore non item. 24
- Ejusdem Certamen bonum. Lovan. 1645.
- Ofunæ. Abecedarius. à Roja laudatus.
- Van Outriben / Joost. Sterre Jacobs.** Belg. ill.

P.

- Pachymeres, *Georgius*. 63. †
- Palafox, *Joannes de*. 20. 72
- Palavicinus. Arx Christianæ Perfectionis 12. Mo-
gunt.
- * Palladius. Optimus & Autoptes Historicus Vit.
Patrum in desertis. 77
- Palma, *Blasius*. Thesaurus indeficiens, sive actus
interni virtutum. 24. Lubl. 1646.
- De Palma, *Hugo*. Brevis, methodicus, utilis My-
stico-practicus. 46
- Ludovicus*.
- Paracelsus, *Theophrastus* &c. Arcanis in Medicina
& natura clarus. 48. 49
- Patres Apostolici. 40
- à S. Paulo, *Simon*.
- Peerle der Goddelijker / en Menslijker Ver-
troosting.** Belg.

- * de Perfectione Christiana. illum. methodic. brevis, essentialis. 16. †
- P. Pennequin, *Isagoge ad Amorem divinum*. Ant. 1661.
- Petersen, Gerlacus, vid. Gerl.*
- * Petrucci, *Pietro Matth. Card.* Contemplator laudatissimus. 81. †
- S. Petrus de Alcantara. *vid. Alcantara.* 78
- Philadelphus, *Desiderius*. J. Boëmii discipulus laudatus & utilis. 47
- Piny, *Alexander.*
- Poirters / Adriaen / Belg.**
- Poiret, *Petrus*. *Oeconomia Divina.* 86
De Eruditione. &c.
- Polck, Jean.* *le Thresor caché au champ de l'Evangelie.* Belg. Germ. Gall. Brux. 1673. Catechismus est excellens, solidus & practicus.
- S. Polycarpus. Vir Apostolicus. 78
- à Ponte, *Ludovicus*, S. J. *Meditat. solidæ.* 34
- de Perfect. Christiana. Lat. Col. 1625. & Gall. Paris. 1665.
- Dux spiritualis, 2 Voll. 4. Col. 1626. & Gall.
- In Canticum Canticorum. fol. Colon. 1623.
- Pordagius, *Joannes*. illuminatissimus. Arcanorum cœlestium plenus. 49. †. 58
- Possinus, *Petrus*. Collector Thesauri Ascetici. Editor operum S. Nili. 63
- Postellus, *Gulielmus*. à Frankebergio summe laudatur. Cabalista. 47
- Pritius, J. G. Novissimus Editor Macarii, & Arndii. 63. 70. †

Q.

Quarré, Hugues, Thresor spirituel. Solidiff. & pract.
 — *Direction spirituelle pour les ames que Dieu*
inspire. 8vo. Paris. 1654.

R

Raimondus Jordanus, Idiota dictus, intime pius
 & divino amore plenus. 24

Regle de S. Augustin expliquée par Hugues de S. Victor.
 Paris. 1690.

Reglement donné par une Dame de haute qualité,
 [Jeanne de Schomberg, Duchesse de la Roche-
 Guyon] à Madame sa petite fille [la Princesse
 de Marcillac &c.] pour sa conduite &c. Paris.
 1698. Libellus practicus insigniter solidus, cum
 illustris Auctoris vita brevissime præfixa, ac
 ejusdem characteris. 72. †

Relations de la Mort de quelques Religieux de la
Trappe. — 75

* de Resurrectione, vide *Laurentius.* 80. 81. 100

Rho, *Joannes.* Historia Virtutum.

Ricci, Barthelemy, Art de Mediter.

Richter, Gregor. Filius, scribit contra Patrem
 pro J. Boëmio. 46. †

* *Rigoleucus, Joannes.* solidus & illumin. 5. †. 79

S. Roberti, Revelationes. 40

* *Rodriguez, Alphonsus.* solidissimus pract. 73

Roeks / Geestelyke Steen. Belg.

Rojas, Antonius. (laudatur à M. de Bernieres.) 80

— *Tres hominis viæ.*

Rosset, Marie. Lettre circulaire sur sa mort.

Rossignolius, Bernhardinus. de Disciplina Chri-
 stia-

- stianæ Perfectionis. Ingolst. 1603.
 Rosweydeus, *Heribertus*. Editor Vit. Patrum. 62. 74
 Rous, *Franciscus*. Interiora Regni Dei. Mystices
 commendator Anglus. *Colleg. S. Rosp. Lond. 1655 (12)*
 * Ruffinus. Historicus optimus & Autoptes Vita-
 rum Sanctorum PP. in desertis Ægypti. 77
 Ruinard, *Theodoricus*. Acta Martyrum sincera &
 selecta edidit. Parisiis 1689. 28. 74
 Rupertus Lincolnensis, in Theol. Mystic. S. Dio-
 nysii Areop.
 * Rusbrochius, Joannes. Theodidactus, solidus,
 profundus, Mysticus primarius. 6. †. 36. †. 58.
 63. †. 100
 * *Ruffaliere*, Jean de la, *Avis spirituels*. Paris
 1668. 1698.
 — *ejusdem flosculi Patrum* 12. 5 voll. Paris. 1670.
laudatus auctor.

S

Saintes Elevations.

- * de Salo, *Alexis*. Solidus & practic. 71
 Ejusdem Ars pie amandi Deum. Col. 1630.
 Saluccius, *Bartholomæus*. Lux animæ.
 Paradisus Contemplativorum. Schola Divini
 Amoris.
 * à S. Samfone, *Joannes*. Theodidact. Aquila in-
 ter Mysticos, licet cæcus à puero. 28. 81
 Sandæus, *Maximilianus*. Systematicus, doctus.
 36. 58
 Savonarola, *Hieronymus*. illumin. Corruptionis
 Christianorum reprehensor insignis. 39. 87
 de Saugere, *Joan.* de Amore Dei, Belg.
 du Sault, *Nicolaus*. de Fiducia in Deum.
 de Schonhovia, *Joannes*.

- Schorer, *Christophorus*. Theol. Ascetica.
- Sclei, *Bartholomæus*. solidus. 47
- Scotus Erigena, *Joannes*. ibid.
- * Scupoli (vel Scupuli) *Laurentius*. solidus, pract.
method. brevis. 47. 68. 100
- Sentimens de la Vie interieure pour se recueillir en
Dieu*. 12. à Liege 1690.
- Scynensis, *Honorius*. Specimen Perfectionis Chri-
stianæ in triplici statu. Paris. 12.
- Simplicius, *Felix*. Theologia spiritualis funda-
mental. Dantisci 1687.
- Speculum Perfectionis. Germ. Lat. Antv. 1547.
Belgice Amstelod. 1699. Egregius Mystico-
practicus.
- Sperberus, *Julius*. Auctor libri Apologetici *Fra-
ternitatis Rosæ Crucis*, qui dicitur ECHO &c.
Dantisc. 1616. uti & quorundam aliorum, v.
g. de *Tribus seculis*, de *Rebus admirabilibus* &c.
Omnia Germanicè, Amstelod. ab anno 1660.
&c. Pius & doctus in faniori Cabala. Seculi
tertii, h. e. Seculi Spiritus S. Encomiastes. 47
- à Spiritu Sancto, *Antonius*. Directorium Mysti-
cum.
- *Josephus*. Eucleatio Theol. Mysticæ S. Dio-
nyfii.
- Stella, *Jacobus*. solide practicus, & familiaris. 72. †
Idem de Amore Dei.
- Suares, *Franciscus*, de Oratione.
- Sulpitius Severus. Egregie scripsit de virtutibus
Monachorum Orientalium, & Vitam S. Marti-
ni. 77
- Suquet, *Antonius*. Practicus.
- * Surin, *Joan. Joseph*. excellentissimus, solid. pract.
illuminatus, doctus, humilis, afficiens. 82
- * Suso, *Henricus*. illuminatus & Theodid. 34
T.

T.

- * Taulerus, *Joannes*. illuminatissimus & internus.
4. †. 36. †. 91
- Taylor, *Edwardus*. Egregius J. Boëmii Explicator & continuator. 44. †
- * Theologia Amoris. 25. 93. 100
- * Theologia Cordis. 16. †. 79. 81. 100
- * Theologia Crucis Christi. 29. 94. 100
- * Theologia Germanica, seu realis. Auctor vere illuminatus, brevis, radicalis. 70. †. 100
- * Theomilus, *Hilarius*. Ejus *Continua* animi lætitia. liber solidus, internus, facilis, succinctus, methodicus. 67. †. 81. †
- * S. Terefia. Theodidacta, afficiens, inflammans. 19. 93. 100
- à S. Terefia, *Ludovicus*.
- * Theodoritus. Historicus autoptes Vitarum SS. Patrum desertorum Palestinæ excellentissimus. 77
- Thesaurus animæ Christianæ. ill. & pract. 72
- de la Trappe, l'Abbé. Sainteté de la Vie Monastique.*
Interpres Dorothei. 76
- à S. Trinitate, *Dominicus*.
- *Philippus*. Summa Theol. Mysticæ.
- Trismegistus, *Mercurius*. 47

V.

- La Valiere, Reflexions sur la Misericorde de Dieu.*
solidæ pietatis & conversionis ad Deum.
- Le P. Ubi, Pratique de l'Amour de Dieu selon les 3 Etats de la Vie spirituelle.* Auctor hic in Mysticis ac divinis expertus erat, ac Director admirabilis *Armellæ Nicolæ*.

De verbozge Mensch des Herten. internus. 46. †
Vernacia, *Baptista*, Veneta. Opera ejus Tomis
IV. (forte eadem quæ B. Cremensis, *vide* B.)

a S. Victore, *Hugo.* vid. *Hugo.* ill.

— *Richardus.* Opera. in 4. Col. 1621. fol. Ro-
thom. 1650.

*Vies des Grands Serviteurs de Dieu, par le R. P. Gi-
ry.* Maximi fit, sed rarus est. vid. *Giry* in G.

Viexmontius, Claudius, de Pœnitentia.

S. Vincentius Ferrerius.

* *Vita interior. illumin. Virginis.* excellentia & fo-
lida habet de Oratione, ubi distinguit inter sen-
sum & spiritum. 79

* *Vitæ Patrum.* ex optimis post Scripturas SS. 74. †
77. †. 100

* *Vitæ Sanctorum,* per Bollandum &c. per Su-
rium & Lipomannum &c. & hic divinissima
continet. 30. 77. †

la Vie des Vierges.

Vies des Saints, de divers Auteurs & Ordres.

VITÆ virorum & fœminarum speciales & nota-
biliores.

— *d'Agnes d'Auvergne de l'Annonciade celeste.* 4.
à Paris.

— *Aloisii Gonzagæ.*

— * *Angelæ de Fulginio.* 29

— *de M. l'Anglois.*

— *d'Anne de Jesus-Crucifié, Religieuse du Calvaire.*

— *d'Armelle Nicolas.* (Theodidactæ.) à Paris
1683. 28. †

— * *Balthazaris Alvarez,* per Ludov. de Ponte.
Antv. 1670.

— *du P. Bardon.*

— *de Barthelemy des Martyrs.*

— * *de S. Basile,* par Mr. Hermant.

VITÆ.

- du P. Bernard, Claude, par Mr. le Gauffre.
 — du P. Bernard, Pierre. Jesuite.
 — Bernardi Colnagii.
 — Berchmanni Joannis. Belg. S. J.
 — Bernhard von Corlion. Germ.
 — de Mr. Bourdoise.
 — * de Mlle Bourignon. 86. †. 89. †
 — de Canfeld. 36
 — * S. Catharinæ Genuensis. 27
 — Catharinæ de Raconis, per Fr. Picum, Mi-
 randulæ Comitem.
 — * S. Catharinæ Senensis, per P. Raimondum.
 Parisiis & alibi. 23
 — de la Baronne de Chantal. 77
 — de S. Charles Borromée, par Mr. Godeau.
 — de Mr. de Chasteuil.
 — Claræ Franciscæ van Antwa. Belg. & Germ.
 Colon. 1685.
 — de Claire Françoise de Cuisance.
 — S. Claræ de Monte-falco.
 — de Claude le Sergeant, Minime.
 — du P. de Condren.
 — Confalvi Sylvereriæ.
 — de Mlle de Dampieres.
 — * d'Elisabet de l'Enfant Jesus. solidissima, in-
 terna. 77
 — * Sti. Euthymii. admirabilis. 74
 — de Mr. Favre.
 — S. Francisci Assisiatis, per S. Bonavent.
 — de S. François de Borgia, par le P. Verjus.
 — du P. François de Saintpé, Pretre de l'Orat.
 — de Françoise Claire de S. Lievin, sa Vie & sa
 Doctrine. à Liege 1696.
 — de Françoise Fournier.

VITÆ.

- de *Françoise Lopez.*
- *Franciscæ Pontianæ Leben / Germanice.*
- du *P. Fournier, Pierre.*
- de *Mr. Galleman. Superieur des Carmelites a Dijon.*
- * *S. Gertrudis. Divina.* 21
- *Gonzagæ, Aloïsi.*
- de *S. Gregoire de Nazianze, par Mr. Hermant.*
- * *Gregorii Lopez, Hisp. Gall. Angl. &c. Magni Contemplatoris.*
- de *Mad. Helyot.*
- de *S. Jean Capistrant & de S. Pascal Bailon.*
- * *du B. Jean de la Croix.* 11
- du *P. Jean Chrysostome, Religieux penitent.*
- de *Jean de Jesus-Christ, de l'ordre de la Mercy.*
- * *de Jeanne de Cambry.* 83
- *Jeanne de J. Christ, de l'ordre de la Mercy.*
- * *Joannæ à Jesu Maria.*
- de *S. Ignace de Loyola, par le P. Bouhours.*
- de *S. Louis, par l'Abbé de la Chaize.*
- du *P. Louis Lallemand, sa Vie & sa Doctrine.*
- *Vie & conduite spirituelle de la Demlle. Madeleine Vigneron, suivant les memoires qu'elle en a laissés. a Roïen 1679.*
- de *Magdeleine de S. Joseph, Carmelite.*
- de *Ste. Marguerite de Cortone, sa parfaite penitence: par le P. J. M. de Vernon.*
- *Margaretha von Creutz. German.*
- * *de Marguerite du S. Sacrement (par le P. Amelotte.) Venerationis Infantiaë Jesu Christi instauratricis singularis, tota stupenda.*
- de *Marie de Ste Barbe, Ursuline de Pontivi.*
- de *Marie Bon, de l'Incarnation, Ursuline. par le P. J. Maillard.*

VITÆ.

- *de Marie Elisabet de la Croix de Jesus.*
- * *Mariæ (feu Marinæ) de Escobar. per Ludov. de Ponte.*
- * *de Marie de l'Incarnation, Ire. Superieure des Ursulines en la Nouvelle France. in qua mortificationis, spiritalis ac mysticæ vitæ sublimissimæ, uti & practicæ pro animarum salute, exempla incredibilia ac divinissima.*
- *de Marie Laurence le Long, par Paul de Lagni.*
- *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi. (Latin. in 4^{to}. Francof. 1670.)* 34
- *de Marie d'Oignies.*
- *de la B. Marie Raggi.*
- *de la M. Marie Rosette.*
- *de Marie de Valence.*
- *Mariæ Velæ.*
- *Mucii.* 74
- *Bon Bruder Niclaus. German.*
- * *de Mr. le Nobletz. à Paris. 1666.*
- *S. Norberti. Antwerp. 1656.*
- *de Mr. Olier (Jaques)*
- *de S. Philippe de Neri.*
- *de S. Pierre d'Alcantara, avec son Traité de l'Oraison & ses Meditat. Paris.* -8
- * *de Mr. Queriolet, Nobilis Britanni. Ejus vita & conversio a summo gradu profligatæ ac induratæ nequitæ ad summum gradum mortificationis incredibilis, patientiæ, charitatis generosæ erga miseros, & sanctitatis vitæ admirabilis, stupenda est.*
- *du P. Quintin, Pierre. Dominic.*
- *de Mr. Renard.*
- * *de Mr. de Renty. Splendidum Galliæ Sidus.* 77

VITÆ.

- du P. Rigoleuc. 79
 — de Mr. Roussier.
 — * S. Sabæ. 74
 — de Santena, *Comitis*. ibid.
 — du P. Seurin, par H. M. Boudon.
 — Fr. Solano.
 — Stanislai Kotskæ.
 — * Sufonis. 34
 — * S. Syncleticæ. 74
 — * S. Terefiæ. 19
 — de la Trape, *Vie & Mort de quelques Reli-
gieux*. 75
 — * de Vincent de Paul, par l'Evêque de Rodez.
à Paris 1697.
 — des premières Mères de la Visitation, en 4. Voll.
 — d'Umiliana de Cerchi. Lat. Gall. Ital. Germ.
Belg. Pol. Hisp. Portug.
 — * de Wernerus N. ou le S. Refuge. 77
 — du P. Yvan.
 * Vitis S. Francisci. Lat. Belg. hic insunt, circa
finem, vitæ duodecim priorum discipulorum
S. Francisci admirabiles & divinæ.

W.

- Weigelius, *Valentinus*. multis invisus gratis. illu-
min. à Deo. 47
 Werdenhagen. *Joannes Angelius*. 46. 60
 * Weyerus, *Matthæus*. illuminatus ac solidissi-
mus, vanitatis ac nihilitalis humanæ coram Deo
Præco realis internusque. 17
 Wicht / Sara. Angl. Belg. puella Consolatrix in-
signis desolatorum.
 Wilkenfon, *Robert*.

X

Xaverius, *S. Franciscus*. Epistolæ.

Z.

* Zachmorter, *Michael*. methodicus, facilis, solidus. 34. 78. 81
 Zimmerman. *vid. Matthæi*. 46

Plures qui volet sibi indicari auctores, consulat Sandæum, Bonam, Bellarminum, Oudinum, Dupin, du Sauffay, Mabillon, Caveum, &c. ac in primis Historiam Theologiæ Mysticæ Cl. G. Arnoldi.

ERRATA.

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>erratum</i>	<i>corrige</i>
22	11.	immeditate	immediate
27	25.	Eph. 4. 11.	Eph. 4. 15. & 1. Tim. 1. 5.
101	11.	Actores	Auctores
108	4.	<i>dele</i> que	
113	3.	explanare	explanat, fervire
156	17.	primo	ad tempus
158	15.	impressæ.	impressa
159	11.	fervorem	terrorem
165	8.	iisdem	de iisdem
185	3.	exactæ reddentis	exacte reddenti
186	13.	interno-	internorum.
193	2.	noster	noster)
204	26.	factas	factæ
	27.	tribuunt	illum tribuunt
216	7.	ni	in
248	11.	suspicione	à suspicione
256	4.	declarabit	declaravit



